



**Illusterrissimi Marchionis Scipionis Maffei Historia  
Theologica Dogmatum Et Opinionum De Divina Gratia,  
Libero Arbitrio Et Prædestinatione**

**Maffei, Scipione**

**Francofurti ad Mœnum & Moguntiæ, 1756**

Liber XII. Quo Augustiniani Systematis hactenus repræsentati veritas  
confirmatur, solutis, quæ ex celebrioribus ipsius locis, obmoveri possent.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95061](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-95061)

nostrum esse velle; nostrum esse currere: Dei perficere. Non verebatur idem dicere: <sup>1</sup> Nec plus aliquid ad perficiendam justitiam, quam perfectam voluntatem requiri; nec docere: <sup>2</sup> fidem in potestate esse, quoniam cum vult, quisque credit... & per liberum arbitrium justitiae nasci dilectionem. Ita in psalmis: <sup>3</sup> sitire tibi possum me, irrigare non possum; quasi vero a se posset hanc sitim excitare. In Genesin: <sup>4</sup> Cum paulatin ab hujus oblivionis torpore anima resipiscens posset converti ad Deum suum, ejusque misericordiam, & veritatem, primò ipsa pietate conversionis, deinde servandi praecepti perseverantia promere; quasi seipsa posset converti, & perseverare; & quasi suum foret omne meritum. In libro saepius ab ipso confirmato legitur: <sup>5</sup> incipit autem homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere... <sup>6</sup> Certè enim ipsum velle in potestate est, quoniam adjacent nobis; sed quod perficere bonum non est in nostrâ potestate, ad meritum pertinet originalis peccati.... <sup>7</sup> Nam & illud quis sine difficultate vult; quamvis non tam facile faciat, quam facile vult. <sup>8</sup> Quid facilius, quam velle bonum? Habet in Tra-  
statu quodam coram populo de facto illo Esavi, & Jacobi, recitato: <sup>9</sup> elegisse Christum quosdam qui pertinebant ad filium minorem: quia spiritualiter cuperant desiderare; & intelligere promissa Domini. Legitur in quâdam epistolâ: <sup>10</sup> Deum jubere ideo, ut facere jussa conati..... adiutorium gratiae poscere noverimus. Ita legimus in Sermoni: <sup>11</sup> Voluntati nostrâ conanti adiutorium subministrari. Et alibi: <sup>12</sup> Dare Deum: sed non dare, nisi petenti. Certum est, quod cum facit præventi gratiam à conatu nostro, ab intelligentia, ab imploratione auxilii, intelligat illis in locis Augustinus

ulteriorem, magis manifestam, magis operativam. Vide sis autem, quod ipsius propositiones nihil admodum à Græcorum, aliorumque anteriorum dictis discrepant, possintque pariter haec in malam partem accipi, & primam æquè gratiam in Semipelagianorum ore excluderent!

4. At quorsum ista? Nonne ipsæ SS. literæ hunc saepe in modum loquuntur? Vidimus id tribus prioribus libris.<sup>13</sup> Velle adjacent mihi, perficere autem non invenio.<sup>14</sup> Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.<sup>15</sup> Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.<sup>16</sup> Deus superbis resistit: bumbibus autem dat gratiam.<sup>17</sup> Qui diligit me, diligitur à Patre meo; & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum.<sup>18</sup> Surge, qui dormis, & surge à mortuis, & illuminabit te Christus. Ubi rō excitari, & surgere videri posset lumen quod à Deo venit procedere. Ita & in Vt. Testamento:<sup>19</sup> Hæc dicit Dominus: si converteris, convertam te.<sup>20</sup> Oratio mea præveniet te.<sup>21</sup> Propterea exspectat Dominus, ut misereatur vestri.<sup>22</sup> Convertimini ad me; & ego convertar ad vos.<sup>23</sup> Misericordia tua subsequetur me.<sup>24</sup> Si quæsieris eum, invenies.<sup>25</sup> Præparate corda vestra Domino.<sup>26</sup> Hominis est præparare animam.<sup>27</sup> dignos se ipsa circuit quærens.

Et sicutur, quam iniquè accusentur Patres græci, quod similes adhibuerint sententias! En quâm erronea sit eorum opinio, qui discrepare in rei summâ atque inter se, existimant doctrinam & sensa Augustini, & antiquorum Patrum dogmata. En deinde, quam vana ob falsam hanc opinionem futura esset suspicio, ne summâ à nobis fide, omnique candore duobus superioribus libris sancti hujus Doctoris syl-  
tema sit repræsentatum.

(1) Ep. 127. n. 5. (2) de Spir. & lit. n. 52. & 55. (3) in Pf. CXLII. n. 4. (4) de Gen. ad lit. l. 10. n. 28. (5) ad Simpl. l. 1. quæst. 2. n. 2. (6) n. 11. (7) n. 12. (8) l. 1. quæst. 1. n. 12. (9) Serm. 4. n. 17. (10) ep. 57. n. 9. (11) Serm. 155. n. 4. (12) in Pf. CIL. n. 10. (13) Rom. VII. 18. (14) VIII. 28. (15) Jac. III. 8. (16) IV. 6. (17) Jo. XIV. 21. (18) Eph. V. 14. (19) Jer. XV. 19. (20) Pf. LXXXVII. 14. (21) If. XXX. 18. (22) Zach. I. 3. (23) Pf. XXII. 8. (24) Paral. XXVIII. 9. (25) Reg. I. 7. 3. (26) Prov. XVI. 1. (27) Sap. VII. 17.

FINIS LIBRI UNDECIMI.

HISTO-

## HISTORIÆ THEOLOGICÆ

## LIBER XII.

Quo Augustiniani Systematis hactenus repræsentati veritas confirmatur, solutis, quæ ex celebrioribus quibusdam ipsius locis, obmoveri possent.

Parum egisse videbatur, cum Augustinum cum antiquâ traditione, & Patribus concordem ostendimus; nisi pariter sibinet ipsi illum consonare demonstraremus. En igitur accinctos nos, ad cōmonstrandū, cum cōgesto à nobis doctrinæ suæ corpore nihil admodū pugnare ea loca, quæ à voluminum damnatorum Patronis in contrarium solent proferri.

Et quoniam maximæ difficultates solummodo in paucis quibusdam scriptis indagari solent, ea ipsa modo accuratè, atque sincerè referemus. Mira sane res est, & insolens, quod à multis, cum de S. Augustini opinionibus disputatur, non rotæ feries, & nexus doctrinarum, nec bis vel fet mille loca, ex quibus easdem in historico hoc labore exhibuimus, sed pauci quidam ejus libri duntaxat & aliqua ejus enuntiata in medium proferantur. Mīrum non mindis est, multos contendere, ex tot illustribus ab ipso dictatis operibus, duo solum, aut tria esse in prelio habenda. Quæ res in mentem nobis revocat animadversionem illam Vincentii Lirinensis.<sup>1</sup> Cum sub alieno nomine hæresin concinnare machinantur, captant plerumque veteris cuiuspiam viri scripta paulò involutiū edita, quæ pro ipsa sui obscuritate d̄gmati suo quasi congruant. Obscuritas, & difficultas harum rerum nascitur ex materia per se difficultimè, & obscurā. Ceterum prædestinationis, & gratia veritas in ipsis perfectè exponitur. Cum autem nostrâ etiā aetate de libero arbitrio disceptetur, error, & dolus est, nolle, alios simul libros in prelio haberi. Vehementer in tam eximium authorem injurias est, qui asserit, ipsum in his solis metam attigisse; quasi viginti annorum quibus cum Pelagianis disputavit, spatio nondum plenè scivisset illos refellere. Adde hīri non posse, ut rectè quis intelligat scripta ejus ultima, nisi imbutus primū fuerit ejus doctrinis, atque anteriores ejus libros attente magnâ saltem ex parte perlegerit. Ex his sane non minus quam ex reliquis omnibus auctoritates hactenus depropromis, ut totum ob oculos poneremus

systema. Verum enim verò, cum ex his potissimæ perantur oppositiones, relatis jam tum omnibus aliorum operum, atque magnam etiam partem ultimorum istorum locis, tamen hæc denud sigillatim expensuri hoc loco sumus. Atque ut perspicuè magis intelligantur, argumentum illorum & scopum referemus historicè; & breviter, suo rem à capite arcessentes.

2. DIREXERAT jamtum vir sanctus longiorē epistolam ad Sextum Presbyterum Romanum, & postea Pontificem; declamans in eā adversum Pelagianos, qui eo jamtum se propugnaculo tutari cōperant, ex quo postea dimicarunt Semipelagiani. Epistola illa annis quibusdam dictos libros præcessit: quia tamen prima horum fuit origo, nodūmque præcipuum de quo deinceps pugnabatur, continet, neque minus, quam libri ipsi, obscura videretur homini controversialē caput non rectè intelligenti; necessarium omnino est, inde duci initium. Auspiciatur eam Augustinus, laudando Sextum, qui ex<sup>2</sup> literis Apostolice sedis de Pelagianorum damnatione ad Africanam missis, & novis postea epistolis adeo feliciter mentem suam adversus hunc errorem expoluerat, ut in eā fides ipsa Romane Ecclesiæ<sup>3</sup> loqui videtur. Atingit vir sanctus (adverte sis lector!) fuisse tum temporis, <sup>4</sup> qui justissime damnatas impietates adhuc liberius defendendas putavent; fuisse item, qui occultius penetrarent domos venenum disseminantes; fuisse, qui præ metu tacerent, eandem tamen int̄ finu pestem foverent. Proinde alii, (inquit prudentissime) severius fuisse coercendi, alii vigilantiū vestigandi; alii tractandi quidem lenius; sed non sognius docendi.

3. EXPONIT deinde duo illa erroris capita, quibus tum insistebat Pelagianus. Primum erat, quod<sup>5</sup> putarent auferri liberum arbitrium, si non ipsam bonam voluntatem sine adjutorio Dei hominem habere consenserint. Alterum, quod existimarent, facturos se acceptorem personarum Deum, si crederent, quod sine ulti præcedentibus meritis, cuius vult miseretur, & quos dignatur, vocet, & quem vult; religiosum facit. Quæ verba sunt Ambrosii intelligentis eadē vo-

(1) Vinc. Lirin. Comm. c. 11. (2) epist. 194, n. 1. (3) ibid. (4) n. 2. (5) Ambrōs. in Luc. 1, 7, n. 27.

catione ad fidem. Apparet igitur, noluisse ipsos agnoscere communem gratiae prævenientis necessitatem; nec voluisse fateri, fidem esse gratuitam. Adversus hos errores Tractatum suum per modum epistola direxit; atque ex hoc articulo totam intelligere licebit epistolam. Quod ad prium attinet; non intelligunt, aiebat, non se firmare humanum arbitrium; sed impellere, ut per inaniam fervatur; non in Domino, tanquam in petra stabili collocetur: paratur enim voluntas à Domino. En, ut etiam hic confirmari Docttor noster, humanam voluntatem generatim præparari à Domino per primam gratiam; esseque ideo in petra stabili firmatum arbitrium, quod ipsius ope à suo se ligamine securè liberat; id quod non capiebant Pelagiani. Circa alterum adverit, <sup>1</sup> parum eos attendere, unam eandemque damnationis massam esse homines; pœnamque deberi in eam manenti, & indebitam gratiam ex ea liberato. Cur allii hæc ratione vasa honoris, alii contumeliae facti sint, aliam assignare non scit causam, quæsupremam Dei potestatem. Quia autem quibusdam summam benignitatem quodammodo prospicit claudit hunc articulum, exclamando cum Apostolo: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* & alterum claudit alio effato: <sup>2</sup> *Justificati gratias per gratiam ipsius.*

4. **Q**UIA verò indigitati duo errores re ipsâ in unum solum recidebant, scilicet, quod nolint agnoscere fidei initium esse à Deo, contendentes totam nostram illam esse, ejusque merito dari deinde gratiam: tota his in rebus vertitur epistola. Ventilat igitur, & discutit adversariorum astutiam, qui, dum asserebant dari gratiam sine merito, hoc nomine naturam intelligebant, atque ita statuit: <sup>3</sup> *Ipsam fidem, unde omnis justitia, id est actus meritorius, sumit initium . . . non humano, quod isti extollunt, tribuamus arbitrio, nec ullis præcedentibus meritis; quoniam inde incipiunt bona, quæcunque sunt merita; sed gratuitum donum Dei esse fateamur.* Docet, etiam si ad vincendas cupiditates, & amanda bona æterna, & Deum omnium bonorum fontem adjutorium reddatur oranti: non esse tamen prium meritum nè ab oratione quidem; quia sine quâdam fide non oraremus, quæ data est non oranti. Eam hic fidem intelligit, de quâ Apostolus: <sup>4</sup> *Credere enim oportet accidentem ad Deum, quia est.* Ut autem intelligatur, quod ad fidem Christianam præter Evangelicae legis prædicationem gratia interior requiratur, & præveniens, adducit dictum Pauli: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incremen-*

*tum dat Deus.* Cur autem positis omnibus requisitis, ille quandoque *credat*, ille non *credat*, cùm <sup>5</sup> ambo idem audiant, refert ad occulta Dei judicia. In sexcentis aliis locis, quemadmodum vidimus, consentire, vel dissentire Divinae vocationi disertè tribuit voluntati; docens, quod ipsius sit vocare; nostrum sequi. Sed hic agnoscitur, objectum fuisse ab adversariis: cur Deus non cogat voluntates, omnesque adigat ad consensum, siquidem id possit? ad quod aliud non scit respondere, quæm quod alia & inscrutabilia sint judicia Dei, & semper justa. Causam plurium mysteriorum, quibus etiam annumerat, quod plurima quæ possit fecere, Deus non faciat, cognitores nos alio in libro scribit, <sup>6</sup> cùm in Cœlum fuerimus recepti. Hic autem, nè *tribuere omnia gratiae amphibologiæ ansam præbaret*, declarat postmodum: <sup>7</sup> *Neque tamen hoc ita fieri de nobis, tanquam nihil facientibus nobis.* *Adjutorium Spir. tis Sancti sic expressum esse, ut ipse facere diceretur, quod ut faciamus facit.*

5. **P**ERGIT ostendere, omnem virtutem, & omnem actum bonum provenire à Spiritu Sancto, qui pro suo arbitratu gratias distribuit. <sup>8</sup> *Nam nondum inhabitans adjuvat, ut sint fideles, inhabitans adjuvat, ut jam fideles.* Cùm porro nihil fiat bonis in præveniente gratiâ, ipsaque facultas nostra Dei donum sit, inferri, quod <sup>9</sup> cùm Deus coronat merita nostra nihil aliud coronat, quæm munera sua. Exponit hic locum Pauli: *Stipendium peccati mors; gratia autem est vita æterna; declarans, quemadmodum & alias vidimus, tametsi hæc me itis præcedentibus reddatur: <sup>10</sup> tamen, quia eadem merita, quibus redditur, non à nobis parata sunt, per nosnam sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsam gratiam nuncupari.* Adjungit, vitam æternam me cedem appellari plurimis scripturarum locis: at nunquam dictum fuisse mercedem justitiam, vel fidem; quia justitia, vel fidei redditur merces. Nihilominus, nè esset unde jaætantæ causam arriperemus, Apostolus vitam æternam non appellavit *stipendium justitiae*, ut mortem *stipendium peccati*; cùm licet justitia etiam *stipendium*, sibi tamen *stipendium gratia*, cui gratia est & ipsa justitia.

6. Hic porro se offert obscurior quædam series sententiarum; quæ ideo citra dubium talis evadit; quia non videmus, quid ipsi objecerint adversarii. Colligi tamen facile potest, quod, cùm in Christianorum & Paganorum colluvie soli Christiani effugere vitia deprehenderentur, & sanctam vitam agere, hujusque causâ in religionem conjectâ, ipsam Augustinus

(1) n. 4. (2) Rom. III. 24. (3) n. 9. (4) Hebr. XI. 6. (5) n. 10. (6) Enchir. c. 94. n. 24. Tunc in clarissimâ . . . quæm multa possit, & non velit &c. (7) ep. 194. n. 16. (8) n. 18. (9) n. 9. (10) ibid. n. 20.

Dei donum esse voluerit, intulerint continuo aduersarii, soli Deo bonam vitam perinde, ac malam tribuendam esse.<sup>1</sup> Sed excusabant se, inquit, homines, qui nolunt recte, & fideliter vivere, dicentes: Quid nos fecimus, qui male vivimus: quandoquidem gratiam, unde bene viveremus, non accepimus? ref. pondet Sanctus: si male vivunt, de suo male vivunt; quod vel contraxerunt ex origine, vel per seipso adjecerunt. Repetit hinc: Si vasa sunt irae, quae perfecta sunt ad perditionem, quae illis debita redditur, sibi hoc impudent, quia ex eâ massa facta sunt, quam Deus ob unius culpam iustè damnavit. Si autem vasa sunt misericordiæ; quibus ex eadem massa facta supplicium debitum reddere noluit, non se invenit; sed ipsum glorificant, qui eis misericordiam non debitam praestit; & si quid aliter sapiunt, & hoc quoque illis ipse revelabit. Loqui videtur de homine interius credente, & de quâdam adhuc dubitante; unde perfectam nondum habet fidem, sed à Deo illuminandus fore credendus est. Concludit: Satis sit interius Christiano nosse, vel credere; quod neminem Deus liberet, nisi gratuita misericordia; nec dannet, nisi iustissimâ veritate. Cur autem hunc potius quâd illum liberet, scruterur, qui potest... sed caveat precipitum.<sup>2</sup> Cùm rei hujus cause tam abstrusa & reconditæ sint, solique Deo notæ. Verbo: pravitate in quovis homine de suo est; fidei contra donum à Deo est.

2. QUONIAM tamen sequi inde videbatur, nihil poenæ mereri eos, ad quos Evangelium delatum non fuit; ostendit deinde etiam ipsos fore inexcusabiles secundum Scripturam; propterea, quod ex rebus conditi Conditorum non agnoverint, nec debitam ei praestare voluerint honorem, non obedientes veritati; sed iniqui, & impii permanentes.<sup>3</sup> Quo loco & confirmatur, quod persuasum habuerit tales etiam ipsis inspirationes fuisse concessas, ut possint obediere, & quodam modo ad veritatem accedere, atque omni se purgare flagitio. Non inficiatur, magis fore inexcusabiles eos, qui lege instructi nihilominus scant sceleribus. Pergit eadem sensa recolare. Diligenter interim notandum, quod de eo, quod quis Christianus non sit, vel malam, quæ inde consequi solebat, vitam agat, intelligendus etiam sit, cùm de iis loquitur, qui se in nequitias, & iniquitatibus excusatos volunt. Quod conditi homines fuerint proper bona naturæ, sed propter vitia supplicio destinati. Id sane primi parentis culpam indigitat, ob quam communis supplicio addicti fuimus, ideoque sequitur, naturam Divinæ tribui voluntati eam

ita punienti; nostræ autem voluntati culpam; neque à peccato vel ex origine, vel vitæ tempore contracto quenquam liberari, & iustificari, nisi gratiâ Dei per I. C. D. N. non solum remissione peccatorum, (quam solam confitebantur Pelagiani,) sed prius ipsius inspiratione fidei, & timoris Dei.

3. IN clarissimam confirmationem, quod donum fidei ex nullo pendeat merito, adfert exemplum parvulorum, in quibus ait totas vires argumentationis lumine perdere illos, qui existimabant, non posse in eadem causa alii conferri misericordiam; super alios verò manere iram ejus. Quam enim assignabunt isti rationem, quod hunc post baptismum explicantem alium ante, quam eundem recipiat, vitam claudentem videamus? Quid hic dicturi sunt, qui ut gratia Dei dari possit, nonnulla præcedere merita humana contendunt?... Non itaque misericordiæ gratuitæ Dei pertinacissima adversetur insania. Et quoniam hujusmodi mortem consequebatur vira æterna, dic quæso, interrogabat alibi,<sup>4</sup> quibus meritis parvulorum debeat Deus regnum Cœlorum? Discutit postea factum duorum gemellorum, quorum alter electus, alter derelictus fuit, ante quam nasceretur, electione scilicet gratiæ, non debiti. Quid enim, inquit, diligebat in Jacob, nisi donum suum gratuitum? quid odio habebat in Esau, nisi peccatum originale? Non probat asseritionem Pelagianorum, quod odium, & amor ex operibus prævisis causam sumat; nec poterat probare, quia etiam si intelligere id voluisse de electione ad gloriam, dictum hoc in ore Pelagianorum evadebat hæreticum, ponendo, quod opera prævisa essent partus naturales liberi arbitrii. Hinc paulò post: Ubi nunc merita, ali opera vel præterita, vel futura, tanquam liberi arbitrii viribus adimplenta, vel adimplenda?

4. AFFIRMAT porro, satis manifestum esse, D. Paulum in epist. ad Rom. de gratiâ agere; & ideo præmissionis filios commendare; & scopum suum fuisse, ut ostenderet non potuisse gloriari Jacobum, nisi in Deo; quippe qui à solâ gratia habere potuit ut ex illâ massa originalis iniquitatis se cerneretur; in quâ ex justitiâ meruerat in damnationem non minus, quam frater relinqui. Electionem autem gratiæ nullis fieri præcedentibus meritis. Non ob prævisa merita electum fuisse Jacob, & reprobatum Esau; huc collineare dictum illud Apostoli: Non est volentis, neque currentis. In vasis, quæ perfecta sunt in perditionem massie condemnatae debitam, agnoscere debere vasâ honoris ex eadem extracta, quantum sibi donum Divina contulerit misericordia;

(1) n. 22, & seqq. (2) n. 23. (3) n. 25, & seqq. (4) Op. imp. l. 1, c. 133.

ideoque dici ad Pharaonem in Scripturâ: *in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam.* Sub finem concludit in hæc verba: *Cujus vult miseretur, & quem vult, obdurat.* Collectæ hic videri possint voces duriores, & obscuriores, ut de eorum significatu nullus sit ambigendi locus; siquidem dicit ab initio D. Paulum in epistolâ ad Rom. de fide, & *gratuitâ gratiâ agere;* ideoque commendare filios promissionis, quos sâpe docuit gratiâ affectos per fidem; quia item clauditur epistolâ dicendo: *misericordiam esse donum gratuitum;* ac paulò post finitur dicendo, frustra in contrarium loqui *superbi infidelis elationem,* qui incusum se excusatum contendit, quando gratia legis naturalis instillata est omnibus, & ipsi quoque concessa.

5. *OURÆ nihilominus propositiones reperiri videntur in hâc epistolâ, si quis eas alio, quam ipsius sensu accipiat, nec sciat agi hic de gratiâ præveniente, & de principio fidei non ab homine, sed à Deo gratiâ veniente. Intellectis autem iis, quæ facilè intelligit, qui novit quâ de re cum Pelagianis & Semipelagianis disceptatum fuerit, non modò difficultates, hâc, sed & in libris de corrept. & grat. & predestinatione occurrentes magnam partem diluuntur; cùm statim eluceat, maximam difficultatem reapse reduci ad quæsitum illud in epist. ad Rom. cur permittat Deus tantum infidelium numerum, tótque alios pene innumerabiles sine baptismo ex hâc vitâ excedere? Quam difficultatem libro secundo monuitus, ad salutem nostram non pertinere; sed è nostra nasci temeritate, inutilique curiositate; neque æquum esse, ut in gratiis, arbitriisque Dei donis aut modum, aut causam indagemus. Quemadmodum autem hodie non desunt, qui perperam hanc epistolam interpretentur; itâ nec illâ ætate defuere. At veniâ forte dignus fuit tum temporis is, cui aliquid hinc motum fuit dubium, priusquam Sanctus scopum ejus, & sensum declararet; verum non nostro hoc ævo, quo ipsius declarationes nobis versantur ob oculos.*

III. MAGNA itaque post annos aliquot in Cænobio Adrumeti in Africâ natâ fuit diffensio; quoniam confidere ex hâc epistolâ volebant nonnulli, non extare liberum in homine arbitrium; nec verum esse, quod <sup>1</sup> *in die judicii Deus sit redditurus unicuique secundum opera ejus.* Respondit his Augustinus, magno ipso in errore versari. Verum quidem est, *liberum arbitrium adjuvari per gratiam.* Epistolam ad Sixtum *contra novos esse hereticos conscriptam,* qui dicunt

*gratiam Dei secundum merita nostra dari;* hujus itaque refutationem erroris ex hac repetendam esse epistola. Cæteroqui mirum non esse, à quibusdam hanc non fuisse intellectam; quando de *difficillimâ quæstione & paucis intelligibili solvendâ, & enodandâ agitur;* nimurum de *Divina gratia;* *quæ fecit, ut homines non intelligentes simili ferè modò delusi fuerint, legentes epistolam ad Romanos, quam, uti & suo loco diximus, non contra libertatem, nisi ab imperitis adduci censebat Augustinus. Claudit epistolam, inculcando credi oportere propter authoritatem Scripturæ liberum arbitrium, & gratiam. Addit: ad hoc ipsum utique esse liberum arbitrium, ut sapienter intelligamus. Quo videtur favere ipsi præ reliquis omnibus; probatque quodam dicto, quo jubemur intelligere. Eo ipso autem ait ipse, quo præceptum est . . . obedientia nostra requiritur; quæ nulla esse potest sine libero arbitrio.*

2. *SCRIPTUS* denuo ad eosdem Monachos, iisdem iterum prolatis sententiis. Legitur alterâ hâc epistolâ: <sup>2</sup> *in fide sanâ & Catholicâ perseverent, quæ neque liberum arbitrium negat, non modò ad vitam malam, sed sive in vitam malam, sive in bonam, neque tantum ei tribuit, ut sive gratia Dei valeat aliquid; sive ut ex malo convertatur in bonum; sive ut in bono perseveranter proficiat, sive ut ad bonum sempiternum perveniat. Cohortatur itidem illos cum Apostolo, ut nolint plus sapere, quam oportet sapere. Verum cùm brevi hâc epitome non satis rem enucleasse sibi videbatur S. Episcopus, adjunxit ad hanc epistolam librum de *gratiâ & libero arbitrio,* ut ubiorem inde haurirent doctrinam. Atque ex hoc speciatim eruuntur dicta quædam, quibus hominibus rerum non satis peritis facile imponitur.*

3. *LIBER* eos spectat, qui <sup>3</sup> *sic gratiam Dei defendant, ut negent hominis liberum arbitrium; aut quando gratia defenditur, negari existimant liberum arbitrium.* Ad hanc doctrinam & scopum authoris itâ ab ipso, mox ab initio expositum, exigere oportet librum totum, omniâque ejus dictâ. Reim ipsam aggredirur, statuendo, quod Deus <sup>4</sup> *revelârunt nobis per scripturas suas sanctas, esse in homine liberum voluntatis arbitrium;* ac proinde non posse se purgare peccatorem, culpam in Deum conferendo; quandoquidem respondeat Scriptura: *In sapientia viri violat vias ejus, & Deum . . . caufatur in corde suo: Ne dixeris, inquit: quia propter Dominum recessi; quæ enim odis, non facias. Non dixeris: quia ipse me induxit: siquidem hoc fallissimum est. Sufficit, te non facere, quæ*

*Homo solum  
est causa  
peccati.*

(1) Epist. 214. n. 1. & seqq. (2) Epist. 215. n. 4. (3) de grat. & lib. arb. n. 1. (4) n. 2.

odit. Neque dubitari potest, an ex te hoc pendeat: *Reliquit enim Deus hominem in manu consilii sui;.... apponit tibi ignem, & aquam; ad quodcumque volueris, extende manum tuam. In conspectu hominis vita & mors; & quodcumque placuerit, dabitur ei.* Pergit congerere decem alia loca Testamento veteris, & subdit: *Innumerabilia talia in veteribus libris Divinorum eloquiorum, quid ostendunt nisi liberum arbitrium voluntatis humanae?*<sup>1</sup> His subiungit 15 aut 20 alia ex Testamento novo; & repeatit: *Nemo ergo Deum causetur in corde suo, sed sibi imputet quisque, cum peccat. Neque dum aliquid secundum Deum operatur, alienet hoc a propria voluntate.* Quis autem inducere in animum suum posset, ex hoc ipso libro erui, contrarium libero arbitrio fuisse Augustinum; Deoque ipsum nostra adscriptum peccata? Et tamen hoc nonnulli faciunt ob nonnulla quae postremis dicuntur paragraphis; de quibus mox verba faciemus. Verum quis sui compos credere interea poterit, evinci hoc unquam posse, postquam vir sanctus ea præmiserat, quae retulimus? Quis ambiguis quibusdam atque obscurioribus loquendi formulis induci posset, ut persuadeat sibi, voluisse eum contradicere principio, a se tanquam cererorum omnium fundamento, tantâ claritate, tantâ energiâ, ac frequentiâ inculcate?

4. Dicit deinde, non oportere ob hæc in Pelagianam incidere hæresin, ita ut *ad-jutorio, & gratia Dei locus non relinquatur.* Ac proinde *sicut superioribus testimonis scripturarum sanctorum probatum fuit, ad bene vivendum, & recte agendum esse in homine liberum voluntatis arbitrium.* Sic etiam de gratia Dei, sine qua nihil boni agere possumus, *Divina se allaturum testimonia; quod intelligatur, & Dei donum esse, & liberum arbitrium;* Et victoriam qua peccatum vincitur, nihil esse aliud, quam donum Dei, in isto certamine adiuvantis liberum arbitrium.<sup>2</sup> Monet porro, licet dicat Deus: *Conver-timini ad me, & convertar ad vos, caven-dum esse ne credamus cum hæreticis, dari gratiam propter nostram conversionem, sed sciendum esse, ipsam hanc conver-sionem nostram non futuram sine gratia præveniente.* Ostendit omnia hæc docuisse Apostolum, cum dixit: *sed gratia Dei sum, quod sum; atque ut ostenderet & liberum arbitrium, mox addidisse: & gratia ejus in me vacua non fuit; & alibi: ro-gamus, ne in vacuum gratiam Dei suscipia-tis; quæ omnia in epitomen ipse contra-xit, dicens: ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo.* Ve-nit cæteroqui a sola gratia vocatio. Quæ

porro Pelagiani de Deo vitam æternam meritis, quæ a se ipse homo habeat, red-dente docent refutantur a D. Paulo potissimum his verbis: *Quid habes, quod non acceperisti? Si ergo Dei dona sunt bona merita tua, quando tam amplum tibi con-fert præmium, non Deus coronat merita tua, tanquam merita tua; sed tanquam dona sua.*

5. SUBORITUR hic dubium: si vita æterna <sup>3</sup> bonis operibus redditur, sicut aperi-tissime dicit Scriptura... quomodo ergo gra-tia vita æterna, quæ ex operibus sumitur? At in promptu est solutio: *Intelligamus ni-mirum, ipsa bona opera nostra, quibus æter-na redditur vita, ad Dei gratiam pertinere.* Et quod diligenter contra Pelagium ani-madverti oportet, illud est, quod non red-datur operibus tuis, ex te ipso tibi existenti-bus. Advertit simul:<sup>4</sup> *Non... quia dicit: Deus est enim, qui operatur in vobis & velle, & operari, ideo liberum arbitrium abstatu-putandus est; quod si ita esset, nec superius dixisset, cum timore, & tremore vestram ip-sorum salutem operamini. Quando enim ju-betur, ut operentur, liberum eorum conve-nit arbitrium.* Excutit postea, errorem Pelagianorum docentium, gratiam in lege coniustere & naturâ; tangitque hoc loco Judæos, <sup>5</sup> qui de se præsumentes gratiam repellebant, atque in Christum propterea non credebant. Atque hic est ex libris illis, unde præcipue colligi dicitur, censuisse Au-gustinum, quod gratia non possit resisti. Dicit paulo post:<sup>6</sup> *Per hanc etiam fit, ut ipsa bona voluntas, quæ jam esse cœpit, au-geatur, & tam magna fiat, ut possit imple-re Divina mandata, quæ voluerit modò velit ferido, & ex animo. Homo enim, qui vo-luerit, & non potuerit nondum plenè vult.* Verba quæ ipsam nobis Augustiniani dog-matis medullam exprimunt. Perstringit postea gratiam prævenientem, quæ etiam operans dicitur; & cooperantem; opti-mique earum indolem expoitit.<sup>7</sup> *De ope-rante illo, ut velimus dictum est: Deus est enim, qui operatur in vobis & velle. De cooperante autem cum jam volamus, & vo-lendo facimus. Scimus, inquit (Apostolus) quoniam diligentibus Deum omnia cooperan-tur ad bonum.* Sæpius repetit: *Hæc ergo præcepta charitatis maniter darentur homi-nibus non habentibus liberum voluntatis ar-bitrium.* Sed ecce attigimus jam tum ex-tremas libri paginas, de quibus tantus ex-citatur strepitus.

6. DISPUTABAT Augustinus cum Pe-lagianis, a quibus humanae actiones ad eadē adscribantur arbitrio, ut <sup>8</sup> *ad-jutorio, & gratia Dei locus non relinquetur;* & auderet miser homo, quando bene vivit... in se

(1) n. 4, &c. (2) n. 6, 7, & 8. (3) n. 19. (4) n. 21. (5) n. 24. (6) n. 31. (7) n. 33. (8) n. 6.

ipso, non in Domino gloriari, & spem recte vivendi in se ipso ponere. Quamobrem S. Doct̄or prolixè ex SS. paginis demonstrat, quam in operibus sibi partem homo vindicer, & quam Deus. Unde ut ostenderet, quām falsum sit, quod voluntas Dei possit per humanam impediri, quod Deus non operetur in voluntate, nec habeat in ipsam supremum dominium, sicut in omnes res ceteras, congerit hic eas Scripturæ expressiones, quibus dicitur Deus indu-râsse cor Pharaonis,<sup>1</sup> fecisse, ut Israelitæ timerent, & fugerent, ut filius Gemini malediceret regi David, ut Absalon, ut Roboam, ut Rex Amasias malum sequerentur consilium; ut Arabes, & Philistæ as-cenderent in terram Iudeæ & dissiperent eam; ut Ægyptii odissent populum ejus, & dolum facerent in servos ejus; ac denique, quod infideles tradiderit Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, misericorde illis operationem erroris, ut credant mendacio. Quæ omnia etiam loca adducuntur pariter ab Augustino lib. 5. cont. Julianum.

*Actiones no-  
stra & à  
Deo, & à  
nibis sunt.*

JAM verò millies vidimus, doceri à Magistro nostro, actiones humanas & à Deo venire, & ab homine. Utramque veritatem multa comprobant testimonia Scripturæ. Cùm autem unam duntaxat horum parrem congerit, extra dubium est; videri illas venire non ab utroque, sed ab uno solo. Quæ etiam causa est, cur doceant SS. Patres, ad universum dogma eruendum proferri utriusque generis loca debere, similius expendi. Quò igitur jure Lutherus, Calvinus, & horum sectatores una tantum loca attendi volunt, non item alia? Cur in hoc libro sola quatuor ultima, non autem 20 præcedentia capita considerari debeant? hòc sanè modò colligi mens authoris non potest, quæ est,<sup>2</sup> ut hoc verbum, quod non ab omnibus capitur, ab aliquibus capiatur; quod nimirum & Dei donum sit, & liberum arbitrium. Dicit hic S. Augustinus, ita esse in Dei potestate voluntates hominum, ut eas, quod voluerit, & quando voluerit, faciat inclinari. Agit enim omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum.... alios adjuvat in bello, dando eis fiduciam, alios immisso timore vertit in fugam. Si solam hanc sententiarum seriem attendis, de ipso perinde ac de scripturâ tibi persuadebis, quod per supremam Dei potestatem abolitum planè & extinctum sit arbitrium nostrum. At quid causæ est, cur pauca duntaxat hæc loca expendi debeant, non autem innumeræ alia, ubi de libertate nostrâ adeò luculenta præbet testimonia, quemadmodum in hoc ipso libro vidimus? Immo,

(1) n. 41. (2) n. 7. n. 41. & 42. (3) n. 41. & 42. (4) de Spir. & lit. n. 54. (5) de grat. & lib. arb. n. 42. (6) n. 8. (7) cp. 217. n. 8. (8) de don. persev. n. 37.

cur non advertere animum oporteat ad ea, quæ ipse loca jam dicta referens observat? suā voluntate pugnârunt... nunquid non suā voluntate Absalon elegit consilium, quod sibi operat?.... unde hoc nisi propriâ voluntate?<sup>3</sup> En confirmatam hòc ipso in loco doctrinam, quam etiam alibi adseri scribens contra Pelagianos.<sup>4</sup> Nusquam legimus in Scripturis Sanctis, non est voluntas nisi à Deo; & recte non scriptum est, quia verum non est; alioquin etiam peccatorum, quod absit, auctor est Deus, si non est voluntas nisi ab illo. Exprimere autem, & declarare, quò pacto concilietur, quod actiones nostræ & à nostra voluntate, & à Dei potestate proveniant; quod filii sint liberæ nostræ electionis, & tamen supremum Dei dominium in ipsâ electione locum habeat, id nec lingue, nec menti humanae possibile est. Hanc ob causam Magnus Pater noster aliud dicere non potuit, quām: utrumque verum est.<sup>5</sup> Verum est, quod Arabes & Philistæ ad vastandam Iudeam suā voluntate venerint; & verum est, quod scriptum eorum Dominus suscitaverit. Verum est, quod, quando 10 tribus defecerunt à Roboamo, id factum sit per hominis voluntatem, & verum, nā factum esse, ut tamen conversio esset à Domino. Verum est, quod pudicitia pendeat ex voluntate,<sup>6</sup> & tamen etiam hoc Dei donum est. Verum est, quod dixerit Dominus: facite vobis cor novum; & simul verum est, quod dixerit: dabo vobis cor novum. Explicandi porro hujus paradoxi quam deum viam invenit perspicax illud Augustini ingenium? non aliam, quām ut concluderet: Bonum opus & Dei donum est, & liberum arbitrium, neque aliud quid dici potest. In aliis etiam Tractatibus: Ita sit, inquit,<sup>7</sup> ut neque fideles siant, nisi libero arbitrio, & tamen illius gratiâ fideles siant, qui eorum à potestate tenebrarum liberavit arbitrium. Intelligendi autem & explicandi difficultas nil impediare debet, quò minus credamus, nōque demittamus.<sup>8</sup> Numquid ideo negandum est, quod apertum est, quia comprehendi non potest, quod occultum est? Etiam gentilibus inexplicabilis fuit libertas arbitrii, licet difficultates, quæ ex maiori originis, & gratiâ Divinâ nascuntur, non agnoscerent. Sentiebant in se ipsis libertatem; eamque ob sensum communem, & instinctum rationis credebant, atque asserebant. Quò autem modò cam vi, quām credebant fato inesse, conciliari illa posset, quomodo item mores non ab organorum dispositione, & diversâ humorum temperie necessitate quādam producerentur, explicare nemo aggressus est.

Sapientissime

*Locum u-  
num cum  
alio conferri  
oportet.*

Sapientissime igitur non instituta Philosophica nimis rei hujus disquisitione, sed vero potius supposito hoc principio consti-  
tuebantur Magistratus, ferebantur leges, decernebantur premia & poenae.

7. V E R U M ultrà progrediuntur Augustini obtretratores; contendunt enim ex articulis ante consideratio deduci, quod re-  
vera censuerit Deum esse authorem peccati, illudque ipsi adscribendum fore. Adferunt, ubi hic affirmat, quod Deus voluntates faciat inclinari vel ad beneficia quibusdam praestanda, vel ad penas quibusdam ingerendas, ubi ait, quod eum qui maledixit Da-  
vidi in hoc peccatum judicio suo justo & occulto inclinari: ubi profert illas Scripturæ sententias: Convertit cor eorum, ut odirent populum eus, & colum facerent in servos ejus; Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam. Mittet illis Deus operatio-  
nen erroris, ut credant mendacio ex his col-  
ligentes, operari Deum in animis hominum ad inclinandas eorum voluntates quoconque voluerit; sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala proxemis eorum. Profectò hu-  
jusmodi expressiones secundum se considerare, & à toto Augustini corpore, Scripturæque lejunæ, possent movere suspicio-  
nem homini: plenè rudi, nullaque aut Scripturisticae phrasæ, aut Augustinianæ doc-  
trinae cognitione imbuto. Movere tamen eam haud possunt illi, qui Scripturam, & Augustinum, non in unde duntaxat loco legerit, sed in omnibus. Ubi de psalmô relatò ex instituto agit, in locum illum de Aegyptiis ita scribit: <sup>2</sup> Nunquid intelligentium est, vel credendum, quod Deus cor homini ad facienda peccata convertat? . . . quis hoc dixerit? Nunquid ergo ignoruntam gravium peccatorum auctor est Deus, qui nullius vel levissimi peccati auctor credendus est? No-  
tare solet tanquam mirum quid, quod Deus <sup>3</sup> mali auctor non sit, qui omnium, que sunt, auctor est. Observatu dignum est præce-  
teris, ubi docet: ad peccandum non adju-  
ri nos à Deo. <sup>4</sup> Non quidem, quasi in ulla etiam operatione possit, sine universalis su-  
premi Motoris influxu produci rō p̄s. sed quia in humanis actionibus rō in dñs ex voluntatis electione dependet. Deter-  
minatio cùm ad bonum est, & à Deo pro-  
venit, & ab homine; cùm contra ad malum, à solo est homine. Hinc Sanctus: Ad peccandum non adjuvamur à Deo: justa au-  
tem agere, vel justitiae præceptum omni ex parte implere non possumus, nisi adjuvemur à Deo.

EN igitur, cum in solis hisce paragraphis ait Augustinus, Deum in malum inclinare,

intelligi nunquam potest sensu perpetuæ suæ doctrinæ contrario, neque secus un-  
quam exponi, quām sensu Scripturæ, ad cuius se phrasin accommodat. Eritne quis-  
piam adeò sceleratus, ut afferat Deum  
esse impostorem, & corruptorem animo-  
rum, quia ipse ait in Scripturā: Ego se-  
duxī prophetam, ego immisi errorem, & alia  
similia? nonne vidimus in primis libris  
hujusmodi dicta esse modos loquendi  
orientales, & antiquos? tantum abesse à  
vero, quod Deus fallat, quod excusat,  
quantum quod tristetur, cùmque peniteat;  
qui modi loquendi pariter in Scriptura  
usitati sunt? Eādem itaque ideā, eundem  
que loquendi morem tenens Augustinus  
hīc dixit, quod Deus inclinet in malum.  
Apparet autem ipsius sensus, ubi declarat,  
quando in SS. Bibliis legitur: tentat vos  
Dominus, rō tentat pro eo possumus, quod  
tentari finit <sup>5</sup> & tradidit Sancti Pauli, in-  
telligi: dimisit. <sup>6</sup> tradidisse non cogendo, sed  
defendendo. Et in hoc ipso libro: <sup>7</sup> Nec id est  
inquit, auferatis à Pharaone liberum arbi-  
trium, quia multis locis dicit Deus, ego indu-  
ravi Pharaonem, vel indurabo cor Pharaonis,  
non enim propterea ipse Pharaon non in-  
duravit cor suum. Sed discutatur contextus  
ipsorum illorum locorum, qui obmoventur.  
Quando dicit, quod Deus justo judi-  
cio inclinaverit illum ad peccatum, qui  
maledixit, quis non videt, quod dicere  
voluerit: permisit, ut se inclinaret? Sicenim  
loquitur: Nunquid non sua voluntate homo  
improbus filius femini maledicet regi Da-  
vid? & tamen quid ait David? . . . dimisit  
eum, ut maledicat, quia Dominus dixit illi  
maledicere David. quomodo dixerit, . . . quis  
sapiens intelliget? non enim jubendo dixit, ubi  
obedientia laudaretur; ( fuit enim punitus  
tanquam ob peccatum) sed quod judicio suo  
justo & occulto inclinavit, id est non im-  
pediit, quomodo ipse inclinaret, in hoc pec-  
catum voluntatem proprio vitio suo malam.  
Inclinatio voluntatis in malum oriebatur  
ex eo, quod mala esset; erat autem proprio  
vitio suo mala. Nonne in hoc ipso libro  
statuit Augustinus: <sup>8</sup> Nemo Deum causetur  
in corde suo; sed sibi imputet quisque, cùm  
peccat.

8. POSSET observari præterea occasio,  
& finis, cuius gratiâ hæc Scripturæ loca  
conjunxit. In disputatione adversus Julianum de concupiscentiâ scripsit S. Doc-  
tor, <sup>9</sup> esse nonnulla peccata, que pena sint etiam  
peccatorum. Ridebat hoc adversarius, affir-  
mans, nullo modo esse posse aliquid, quod <sup>10</sup>  
peccatum sit, & pena peccati. Quem ut in  
ruborem daret Augustinus, observavit

(1) de grat. & lib. arb. n. 41. P. CIV. 25. Rom. I. 26. 1. Theffal. 2. 10. n. 43. (2) in P. CIV. n.  
17. (3) de qu. 83. qu. 20. (4) de pecc. mer. I. 2. n. 5. (5) de qu. 83. qu. 60. (6) exp. quār. prop. n. 5.  
(7) Serm. 57. n. 8. de grat. & lib. arb. n. 45. n. 41. (8) de grat. & lib. arb. n. 4. (9) Con. Jul. I. 5. n. 16.  
& 36.

Augustinus, in omnibus illis locis, quibus hyperbolice istæ expressiones adhibentur, agi semper de peccatoribus, iisque insignibus, quibus ideo Deus in delictorum pœnam non concessit ulteriorem gratiam; unde sibimet ipsis relicti in alia porro & graviora prolapsi sunt, ex quibus deinde alia bona elicuit Deus. Eodem, quo hæc dicta habentur, paragraphe profiteretur, <sup>1</sup> aliqua peccata etiam pœnas esse aliorum peccatorum. Quapropter de commemoratis ante Ægyptiis, ait S. Doctor: <sup>2</sup> Non enim rectum cor pervertit, sed sponte perversum ad odium populi, ubi <sup>(\*)</sup> eo malo bene uteretur, convertit. Ita & de Idololatris, qui à Deo traditi, vel permissi erant pravis animi sui desideriis, ait ad Julianum: <sup>3</sup> Hic uique vides causam, propter quam traditi sunt, sine ulla ambiguitate monstratam.

En igitur sermonem hic non esse de personis, quæ per hanc Dei in voluntatibus operationem malæ evaderent; sed de iis, quæ proprio jam tum vitio malæ erant, atque ideo per hanc Dei operationem hisce formulæ expressam, sibi ipsis in pœnam relictæ fuere, factæque fuere pejores. Deus <sup>4</sup> non facit voluntates malas, sed uititur eis, ut voluerit. Cum ergo dicitur homo traditi desideriis suis, inde fit reus, quia desertus a Deo cedit eis, atque consentit, vincitur, capturatur, trahitur, possidetur. Fuit autem ipse primus omnium horum author, quia fit eis peccatum consequens præcedentis pœna peccati. Non agitur hic de positivo influxu; sed de promerita ab ipsis gratiæ subtractione; relicti sunt, quia reliquerunt. Habetur sanc pro certo, <sup>5</sup> præcessisse aliquid, unde Deus justissime iratus, ab eis suum lumen auferrat. Præ ceteris autem <sup>6</sup> fixum debet esse, & immobile in corde, quia non est iniquitas apud Deum. Et cum audimus, Deum seduxisse, & induxisse præcessere mala eorum, quorum malitiam non ipse fecit.

IV. TRANSMISSO hoc libro rescivit Augustinus, ut constat ex ejusdem retrac-tationibus, esse in eodem cenobio, qui malè argumentans profitebatur, si gratia gratuita & necessaria sit; ut in dicto libro ostenditur, <sup>7</sup> neminem esse corripiendum, si præcepta non facit; sed pro illo, ut faciat, tantummodo orandum, ut exequenti ei gratiam largiatur Deus. Agnoscit vir sanctus, Pelagianos illos esse, aut Semipelagianos, qui tam absurdam confectionem prætexentes tueri meditabantur, admissa necessitate, atque independentiæ primæ gratiæ, liberum interire arbitrium. Hoc igitur eos ab errore ut revocaret, conscripsit librum de correptione & gratiæ, cuius scopus, & consilium aliud non est, quam ostendere,

(1) de grat. & lib. arb. n. 41. (2) in Pl. CIV. n. 17. (3) n. 10. (4) n. 15. (5) in Pl. LXXVII. n. 30. (6) de grat. & lib. arb. n. 43. (7) Retract. l. 2. c. ult. (8) de corr. & gr. n. 2. (9) n. 4. (10) ep. 216. n. 5. (11) de corr. & gr. n. 7.

quod intactum maneat liberum arbitrium, licet necessaria sit gratia præveniens, & gratuita. Quæ res sola nos certos reddit, repugnare ē diametro D. Augustini sententia, qui hujus libri autoritate contra libertatem arbitrii abutitur.

EXORDITUR docendo: <sup>8</sup> Confitendum Afferitur li-  
esse, liberum arbitrium & ad malum, & ad <sup>9</sup> bonum ar-  
bitrium ad <sup>10</sup> bonum faciendum nos habere. Hujusmodi <sup>11</sup>  
fundamentum qui statuit, possitne is cre-  
di contra plenam arbitrii scribere liberta-  
tem? sequitur: in bono autem liber esse cul-  
lus potest, nisi fuerit liberatus. Porro: Nec  
ita, ut cum quisque fuerit à peccati damnatione liberatus, jam non indiget sui liberato-  
ris auxilio; sed ira potius, ut ab illo audiens:  
sine me nihil potestis facere, dicat ei & ipse:  
Adjutor meus ego, ne derelinquas me. Appa-  
ret denuo, censuisse ipsum, posse unum-  
quemque nostrum arbitrii sui virtute bo-  
num perire, ac malum amplecti. Ita quidem, ut malè agere quisque possit ex se; <sup>12</sup>  
bonum verò meritorum non nisi virtute gratiæ Christi, quæ hanc nobis concedit libertatem, non ita tamen ut ipsa deinde opus non habeamus; quandoquidem ne-  
cessè insuper est, ut in bonis omnibus quæ à nobis sunt operibus, cooperando adju-  
vet, & adjuvando faciat, ut operemur. Ex  
hoc fundamento, quod ipse vocat fidem  
veram, propheticam, Apostolicam, & Catho-  
licam, peti debet norma totum rite intel-  
ligendi tractatum.

DOCET nos itaque <sup>9</sup> agi per gratiam homines, ut agant, non ut ipsis nihil agant; & ait: Quando non agunt . . . vel non agunt ex charitate faciendo, orent, ut, quod non dum habent, accipiant. Possunt itaque juxta ipsum etiam operari post gratiam; & qui charitatem non habet, habet saltem facultatem orandi ad eam obtainendam. Docet etiam, in correptione cognoscere quemvis posse eam suo se vitio non habere.

2. OPPONEBANT Pelagiani: Reclamaveret me aliquis, si mea culpā non habe-  
remi caritatem, quæ præcepta ejus sunt. Cum  
verò & ipsa voluntas à Domino præparetur,  
cur me corripi? cur non potius ipsum rogas,  
ut in me operetur & velle? Agnoscimus  
hinc, nè voluntie quidem Monachos hos  
se coram Deo dimittere, & unā cum gratiæ,  
quam habebant, operari orando; se-  
quentes Axioma à superiore suo Valen-  
tino expressum: <sup>10</sup> In mea potestate est, ut  
faciam bonum. Responder igitur Augustinus,  
non alios tantummodo, sed etiam eos, qui aberrarunt, precari debere Deum, in-  
timo, primum correptionis beneficium  
hoc esse debere, ut eos excitet ad ora-  
tionem. <sup>11</sup> Posse quidem Deum occulti-

simā & potentissimā medicinā suā vi ad penitūdinem adducere, nullā hominū praecedente correptione: Non tamen ideo omittendam esse correptionem. Sicuti Servator respxit Petrum, & movit ei lacrymas, nemine pro ipso deprecante. Non tamen, idcirco omittenda est oratio pro deviantibus.

3. URGEBANT ipsis: <sup>1</sup> Quid facimus, qui non accepimus &c. quia utique obediens munus ejus est? Probe novimus, centes doceri ab Augustino, quod opus bonum & Dei donum sit, <sup>2</sup> & liberum arbitrium; atque in omni opere bono nec gratia Dei sola operetur, nec homo solus. Videlimus item, quo modo nihilominus ipse bonum tribuat sēpe soli Deo, tanquam omnia nobis concedenti, & ob gratiam primam, sīne quā facere homo nihil potest, maximam sibi partem vindicanti. Jam verò Pelagiā his solum formulis inhaerentes, quasi ab operibus nostris exclusisset liberum arbitrium, movebant bellum, semper interea ponentes, non existere in homine peccatum originis, nec concupiscentiam. Respondet proinde, si peccator carens baptismō corripi debeat, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur; si tamen, qui corripitur, filius est promissionis, & correptioni interiori consentit inspiratio. Si autem iam regeneratus, & iustificatus in malam vitam suā voluntate relabitur, quia acceptam gratiam Dei suo in malum libero amissit arbitrio, forsan ob correptionem ad bonam aut meliorem vitam revertetur. Ubi itidem ostendit, rem ipsam pendere ex voluntate, possēque hominis malitiam & gratiæ resistere, & illam reddere inutilem.

4. PERGEBANT obmovere: Fac etiam me fidem accepisse, quid prodest, si non accepero perseverantiam, quæ juxta vos Dei pariter donum est? Affirmat hīc Augustinus: errare sine dubio, qui diceret: Sic esse hominis, ut ei non sit ex Deo. Hoc tamen nil vetat, quo minus justæ sint correptiones: ex bonâ quippe in malam vitam suā voluntate mutati sunt, adeò, ut jure damnandus sit, si perrexerit. Si non proderit excusatio, quod quis Evangelium non audierit, quanto minus proderit, quod in illo non perseverārit? Justior enim videtur excusatio dicentium: nou accepimus audientiam, quād dicentium; non accepimus perseverantiam, quoniam potest dici: o homo in eo, quod audieras, & tenueras, perseverares, si velles. Adjungit: alios non audiisse Evangelium, vel eo auditio non obtinuisse perseverantiam; alios noluisse credere, aut ob ætatem infantilem non potuisse, ac sine baptismo decepisse. Iste non

sunt ab illâ conspersione d̄sereti, quam constat, esse damnatum, euntibus omnibus ex uno in condemnationem. Alii autem separati discernuntur non meritis suis, sed per gratiam mediatoris, hoc est, in sanguine secundum Adam iustificati gratis.

5. POST QUAM differuit de gratiâ, quæ à massâ discernit; & de perseverantiâ finali quæ est cum gloriâ Celesti connexa, sensim disputare incipit modò de urâ, modò de alia prædestinatione, adducens sententias, quarum aliae ad hanc, aliae contra ad istam referuntur. Quicunque ergo, ait, ab illâ originali damnatione ista Divinæ gratiæ largitate (cui finalis etiam perseverantia includitur) discreti sunt, non est dubium, quin audiant, credant, perseverent, & si quando exobitant, cor�pti emendentur; & nonnulli acceptâ gratiâ in qualibet ætate periculis hujus vitæ mortis celeritate subtrahantur. idque per electionem gratiæ;.. non præcedentium meritorum suorum, quia gratia illis est omne meritum; quod ad mortem mox post baptismum à Deo immissam refertur. Iste sunt vasa misericordiæ, electi ante constitutionem mundi secundum propositum, quo etiam significari hic declarat, fuisse vocatos secundum propositum, hoc est, voluntatem non suam, sed Dei; quod idem sonat, ac gratis, citra meritum. Quoniam verò prædestinatione ad finalem perseverantiam, & ad gloriam, in quounque demum fuerit, conjunctæ semper ac consociatae sint, nullum ex illis ait perire; quapropter nullum relinquitur dubium, quin destinati ad gloriam infallibiliter perseverent. Oportet autem infallibilitatem à necessitate diligenter distinguere. Attigit deinde prædestinationem ad gloriam utpote in loco Apostoli ibidem adducto commemoratam, & subdit: Ili ergo electi sunt secundum propositum vocati, qui etiam prædestinati, atque præsciti. Quâ præscientiâ denuò commemoratâ ait: Electi autem sunt ad regnandum cum Christo; non quomo-  
do Judas à Deo perversam ejus voluntatem prævidente electus solum est ad opus, cui congruebat, & quatenus Deus novit bene uti etiam malis. Confirmat hæc omnia, afferens fidem veré electorum per dilectionem operari; idéoque non deficere: dum è contrario, ii qui perseveraturi non sunt, non sunt à massâ illa perditionis præscientiâ Dei, & prædestinatione disseri. Quando autem ait, si qui sunt quovam fides deficit, eam reparari, antequam vita ista finiatur, loquitur de re certò eventurâ, nullâ tamen necessitate quæ arbitrii offendat liberratem.

6. PERGIT porro obmovere sibi: Cur eis Deus perseverantiam non dederit, quibus

(1) n. 8. (2) de gr. & lib. arb. n. 7.

eam, quā Christianè viverent, dilectionem dedit? Videtur hic intelligere majorem vel minorem peccatoris dilationem, aut immisam ei mortem quando Christianam agebat vitam, vel postquam incidit in peccatum. Quare nec alio modo responde-re poterat, quām exclamando: *ð altitudo!* Cūmque Pelagiani volebant gratiam hanc, ut & reliquias ex nostris pendere meritis, atque inde potissimum petierant objec-tionem, adverte oportet, dupli eos hic lapsos esse errore. Siquidem perseveran-tia in finem ex eo pender, quod mors nos tempore opportuno occupet, quæ res in solius Dei arbitrio est. Ait hic: <sup>1</sup> *Si ergo confiteris, donum Dei esse, perseverare in bono usque in finem, cur hoc donum ille accipiat; ille non accipiat, puto, quod mecum pariter nescis, & ambo hic inscrutabili judicia Dei penetrare non possumus.* Contra Pelagianos soli humanæ voluntati perseveran-tiam in bono adscribentes<sup>2</sup> est dictum il-lud Salvatoris: *Rogavi pro te Petre, ne deficiat fides tua.* Unde Augustinus: *An audebis dicere, etiam rogante Christo, ne deficeret fides Petri, defectum fuisse, si Petrus eam deficiere voluisset ... quāsi aliud Petrus ullo modo vellet, quām pro illo Christus rogāisset, ut vellet.* Sed quia preparatur voluntas à Domino, ideo pro illo Christi non potest esse inanis *Oratio.* Quando rogavit ergo, ne fides ejus deficeret, quid aliud roga-vit, nisi ut haberet in fide liberrimam, for-tissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem? Confirmat hic Augustinus, per Christi orationem pro non defectuā Petri perseverantiā, Divini auxillii necessi-tatem indicari; atque ut eam conseque-retur, rogāsse Christum, ut daret ei voluntas fortissima, & invictissima; quam tamen nè amphibologiae locus sit, simul appellat liberrimam. Dicit equidem, nun-quam fecus volitum fuisse Petrum; non tamen eum velle non potuisse: unde gra-tiam cenfet omnino singularem & eximiam, at non constringentem. Hinc sub-jicit: *Ecce, quemadmodum secundum gratiam Dei, non contra eam libertas defendit voluntatis.* *Voluntas quippe humana non libertate, suique arbitrii virtute, ut volebant Pelagiani, consequitur gratiam: sed gratia potius libertatem, & ut perseveret de-letabilem perpetuatem; & insuperabilem fortitudinem,* <sup>(\*) f. infere parabilem.</sup> *(\*) hoc est talem, quæ non possit externā virtute superari, modò ipsa velle perseveret.* Quamobrem de ipso D. Petro hic dixit: *Tunc fuisse perituram fidem Petri, si ea, qua fidelis erat, voluntas ipsa deficeret; & permansuram, si eadem voluntas maneret.* Videri possit cum per-

petuitate quæ præcedit, consonare melius si legamus hic *inseparabilem.*

7. PERGIT ostendere author mero Dei arbitratu mortem contingere, cum quis est in gratiā, exemplo parvulorum, quo-rum aliis nullo sui merito consequitur ut baptismo lustratus decedat; aliis non con-sequitur. Recolit ante dicta, atque inter hæc sequentia: *Sicut ergo (Pelagiani) coguntur fateri donum Dei esse, ut finiat homo vitam istam, antequam ex bono mutetur in malum.* *Cur autem aliis donetur, aliis non donetur, ignorant;* ita donum Dei esse in bono perseverantiam confiteantur, necesse est. Neque eo commoveamur, quod nonnullis tametsi fidelibus hujusmodi non con-de-natur perseverantia: non enim sunt de eo-rum numero, qui verè prædestinati sunt, & piè vivunt, ideoque filii Dei vocantur. Sed de eorum, quos, quoniam vieturi sunt impii, & in eadem impietate morituri, non filios Dei dicit præscientia Dei. *Quicunque ergo in Dei prævidentissima dispositione præsciti, prædestinati, vocati, justificati, glori-ficati sunt, omnino perire non possunt.* Con-cludit: *corripiendum esse, qui exorbitat, sperandūmque ab ipso fructum, quin per-mittatur nimiā de prædestinatione suā so-litudine mentem conturbare.*

V. SUBORITUR hic quæstio, aliena ab <sup>Dilatantur</sup> <sup>alie diffi-cultate.</sup> instituto; quæ tametsi ad summam dog-matis parum conferat, & subtilis potius ac theoretica sit: tamen admodum cele-bris evasit, cùm ob formulas quasdam à Sancto nostro adhibitas, atque ab aliis hoc rē in pravum sensum detortas; tūm ob nonnullos, qui nodos ex argumentatione, & responsionibus aut sponte hic enatos, aut ab alio quopiam dexterè contentos solutos nondum satis atque evolutos opinantur. Quod non videamus omnia ad-versariorum sophismata ad quæ Author noster respondet, potissimum facit, ut & liber hic obscurus, Authorque ab una sa-pe controversia ad aliam subito videatur transfilire. Verū non oportet locis, qui-bus gratia sancte extollitur, adeò tenaci-ter inhærere; ut eorum quæ ad securam contra omnes cavillationes præstandam li-bertatem indifferentiæ, & arbitrii præ-missa in hoc ipso libro fuere, amittatur memoria. Cœperant Pelagiani argumen-tum instruere ex similitudine à primo pa-rente defumpta. Adam, inquietabat, jus-tus conditus fuit; at non perseveravit; idque juxta te, quia gratiā perseverantiae non habuit. Quid igitur peccavit? Neque enim dici potest, ideo non accepisse, quia non est discretus à massa perditionis, quippe quæ tum nondum erat. Ex quo

(1) n. 17. (2) Non Deo donante, si perseveret; sed humana voluntate faciente.

inferre volebant perseverantiam in bono à solā venire voluntate, non item à Deo; idque ita modò in nobis, uti quondam in Adamo. D. Augustinus primùm considerat, Deum ita vitam Angelorum, atque bonum ordinasse, ut in iis prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium; deinde, quid posset suæ gratiae beneficium. Multi angelorum ceciderunt per arbitrium: multi per ipsum liberum arbitrium in veritate stiebant. Ita & primus parens noster, si per ipsum liberum arbitrium manere voluisset, in eas nunquam prolapsus fuisset miseras. Quo loco nemini in mentem venire debet, quod Augustinus, perseverantiam arbitrio hic tribuens, nulla facta gratiæ mentione, existimet requisitam in Adamo gratiam non fuisse: sed eodem modo ratiocinari hic convenit, quo ratiocinamur, quando oīnia tribuit gratia nullà injecta mentione de arbitrio. Obiectantibus itaque Adrumetinis non eguisse gratiæ Adamum, ac proinde nec nos eā indigere, responderet: Quid<sup>1</sup> ergo Adam non habuit gratiam? inno verò habuit magnam, sed disparem ... Ille non opus habebat eo adjutorio, quod implorat isti, cùm dicunt: video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Hinc est, quod ejus posteri et si non latiore nunc; veruntamen potentiore gratia indigeant; & obtineant. Habentibus enim nobis cum in finem, ut Paulus ait, Deum clementissimum, qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non<sup>2</sup> cum illo omnia nobis donavit?

Excutitur  
celebre illa  
loci de  
auxilio quo,  
& sine quo  
non.

2. Ad diſtandas diluendás planè horum articulorum difficultates, proponemus ordine; ac summà fide, quidquid in ipsis obscuri occurrit, Catholiceque doctrinæ parum favere primâ fronte videatur. <sup>2</sup> Itam gratiam non habuit homo primus, quā nunquam vellet esse malus; sed sanè habuit, in quā si permanere vellet, nunquam malus esset; & sine quā etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset; sed eam tamen per liberum arbitrium deserere posset. Hinc accidit, ut legem infregerit; deseruit, & deseritus est. Tale quippe non erat ejus adjutorium, quo fieret, ut vellet; Quam ob causam potentiores afferit esse gratiam, quæ nobis conceditur in secundo Adam, hoc est in Christo. Prima est enim, quā fit, ut habeat homo justitiam si velit: secunda ergo plus potest, quā etiam fit, ut velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem, voluntate Spiritus vincat. Paucis: per hanc secundam etiam efficitur, ut velit. Poterat tum temporis itaque permanere si vellet, quia

non deerat adjutorium, per quod posset; & sine quo non posset perseveranter bonum tenere, quod vellet. Sed quia noluit permanere, profecto ejus culpa est, cuius meritum fuisset, si permanere voluisset: sicut fecerunt angeli sancti, qui cadentibus alii per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsis, & .... mercedem recipere meruerunt. Si Adam, & Angeli hoc deficiuti fuissent adjutorio, non utique suā culpā cedissent; adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non posset. Nunc autem quibus defest tale adjutorium, jam pœna peccati est: quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum: & tanto amplius datur per J. C. D. N. quibus id dave Deo placuit, ut non solùm adsit, sine quo permanere non possimus, etiam si velimus. Verum etiam tantum, ac tale sit, ut velimus. Significat itidem arbitrium in Adamo tunc ita liberum fuisse, ut bene velle posset, & male.

3. ATTINGIT postea, distingui debere tanquam res multum inter se differentes: posse non peccare; & non posse peccare. Prima ergo libertas voluntatis erat posse non peccare, novissima, & perfectior, quæ erit in beatis, erit multò major, non posse peccare. Prima erat perseverantiae potestas, bonum posse non deserere: novissima erit felicitas perseverantiae, bonum non posse deserere. Ipsa quoque adjutoria distinguida sunt. Aliud est adjutorium, sine quo aliquid non sit; & aliud est adjutorium quo aliquid sit. In exemplum adjutorii sine quo, adfert alimentum, sine quo non vivitur, sed quod ad vivendum non sufficit. In Exemplum adjutorii quo adfert beatitudinem, respectu beatorum; quia hæc, cùm data fuerit, homo continuò fit beatus. Adjutorium enim est non solum sine quo non sit: verum etiam, quo sit, propter quod datur. Primo itaque parenti datum est adjutorium perseverantiae, non quo fieret, ut perseveraret; sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc verò Sanctis in regnum Dei prædestinatis non tale adjutorium perseverantiae datur, sed tale, uteis perseverantia donetur. Omnia autem per gratiam. Pro his enim interpellante Christo nè deficiat fides eorum, sine dubio non deficiet usque in finem.

4. INDE convertit se Author noster ad considerandam facilitatem, quam habuit Adam; & difficultatem, quam experimur nos post concupiscentiam, & appetituum internarum tumultum. Boni nihilominus, & prædestinati aded confirmantur per gratiam, ut omnia perrumpant obstaacula. Liberati enim à peccato servi facti sunt justitiae; in quā stabunt usque in finem, donante sibi illo perseverantiam qui eos

(1) n. 29. (2) n. 31.

præscivit, & prædestinavit. Pergit: neque enim propterea eos promisit Abrahæ, quia præscivit à se ipsis bonos futuros. Immo ipse facit eos perseverare in bono, qui facit esse bonos. Primi parentis voluntas, quæ sine ullo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex ipso concupiscentialiter resistebat, ut dignè tantæ bene vivendi facilitati perseverandi committetur arbitrium. Nunc verò, posteaquam est illa magna peccati merito amissa libertas, (quæ non sentiebat motuum interiorum repugnantiam;) etiam cum majoribus donis adjuvanda remansit infirmitas. Placuit enim Deo, quo maximè humanæ superbiam presumptionis extingueret, ut, politis his donis, non glorietur de re ullâ tanquam suâ.

5. Ac per hoc nec de ipsa perseverantia boni voluit Deus sanctos suos in viribus suis, sed in ipso gloriari; qui eis non solum dat adjutorium, quod primo homini dedit, sine quo non possint perseverare, sicut vellent: sed in eis etiam opeatur & velle, ita, ut & possibilia, & voluntas Divinae gratiae largitate donetur. Quodsi verò in tantâ imbecillitate reliqui fuissent solo instructi adjutorio Adami, inter tot ac tantas tentationes infirmitate suâ voluntas ipsa succumberet, & ideo perseverare non possent; quia deficiente infirmitate nec vellent; aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut possent. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut Divinâ gratiâ indeclinabiliter, & inseparabiliter ageretur; & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret; neque adversitate aliquâ vincetur. Ita factum est, ut voluntas hominis invalida, & imbecilla in bono adhuc parvo perseveraret per virtutem Dei; cum voluntas primi hominis fortis, & sana in bono ampliore non perseveraverit: . . . . Fortissimo quippe Deus dimisit, atque permisit facere, quod vellet; infirmis servavit, ut ipso donante invictissimum quod bonum est, vellent, & hoc deserere invictissime nollet.<sup>1</sup>

VI. EN capitula! en decantatas illas sententias, ob quas præcipue Lutherus primum, & Calvinus, deinde Jansenius, reliquique ejus sectatores, hostes omnes atque impugnatores liberi arbitrii conati fuere tam illustris sese authoris nomine tueri. Quâm ineptè autem, ac contra omnem rationem, mox videbimus. Sed advertamus in primis, quod, dum homines isti Patrem nostrum quasi unicum sane doctrinæ magistrum præ ceteris omnibus, extollunt, in solos hos paragraplos oculos conjicant, quasi, de reliquo hoc, aliisque ejus libris parum esset laborandum. Quo autem jure contendas in solis ante relatis periodis de Divinâ gratiâ recte locutum fuisse Augustinum? Consequens enim inde forer, tanto ipsum tempore de

hâc materiâ non ritè intellectâ contra Pelagianos, & Semipelagianos disputâsse, & scripsisse. Possitne fieri, ut recitatae jam periodi prævaleant unquam, atque evertant loca illa omnia adeò luculenta, & perspicua, quæ, dum doctrine Augustinianæ corpus texebamus, libro decimo plenis modiis congesimus? Nunquid & Pelagianos petebant Tractatus illi, quibus docuit:<sup>2</sup> posse hominem implere Divina mandata, quæ voluerit, non cum gratia erit insuperabilis, ut vult Jansenius; sed cum valde perfecteque voluerit? & hanc etiam summam justitiam, cuius foris non extat exemplum, obtinendam fore, si tanta voluntas (hoc est conatus) adhucatur, quantum sufficit tantæ rei? & ad nonnulla superanda... magnis aliquando, & totis viribus opus esse voluntatis? Quid? Si hoc ipso in libro mox initio statuit tanquam fundamentum, quod liberum arbitrium & ad malum, & ad bonum faciendum confitendum fit nos habere, quis persuadere queat sibi, adduci postmodum ab ipso sententias, quibus evanescat omne arbitrium? Omnes autem hæ animadversiones cuivis homini prudenti certum semper atque indubitatum facient, dicta jam loca alio omnino sensu, quâm qui aduersetur libertati, accipienda esse. Notum profectò est, quod ab omnibus Catholicis, rametsi non eadē ratione, Catholicè tamen explicitur.

2. PRIMA, & potissima fortassis difficultas ex eo oritur, quod vir sanctus dicat: potuisse Adamum perseverare si voluisset, quia non deearat adjutorium, per quod posset; quo si privatus fuisset, non utique suâ culpâ cedisset; adjutorium quippe defuerit, sine quo manere non posset. Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pena peccati est. Quisquis autem diligenter omnium ejus operum lectione stylo ipsius & universo systemate imbutus fuerit, intelliget continuò, quâm diversus, longèque disjunctus sit ejus sensus. Argumentum suum aduersarii à simili quôdam petentiibus, Augustinus quoque binis hisce capitibus variis eos urget similitudinibus. At diligenter attendendum est, unde has ipse similitudines reapse derivet. In loco, de quo hic agimus, comparat ipse justitiam congenitam, ac primævam Adami, cum acquisitâ & recuperatâ à posteris. Adamus conditus fuit justus, atque ita in gratiâ possessione à Deo constitutus fuit; sine quâ perseverare in bono non potuisset. Post ipsius peccatum homines nascuntur inimici Dei, atque iniquitatis originariae labo conspersi. Jam verò quo pacto liberrantur? quo pacto justitiam acquirunt? per gratiam reparatoris Celestis. Cùm

(1) ibid. n. 38. (2) de grat. & lib. arb. n. 31.

autem hāc non omnes ex æquo gaudeant; immò multi ob pertinacem suam repugnantiam eā priventur, verissimè dicitur: *quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est.* Dicit id ipsum, eodemque modo mille aliis in locis, quemadmodum sœpe licuit observare. Nihil itaque hāc verba mirabitur, qui stylum ejus calluerit. In hoc porro loco, uti & in aliis multis, sequitur: *quibus autem datur, secundum gratiam datur; non secundum debitum.* Quæ phrasis ei familiaris est ad exprimendam supremi doni rationem gratuitam. Non poterat profectò inficiari hoc libro, quod Deus passim suum nobis concedat auxilium; siquidem in ipso limine fundamenti loco statuit, quod Deus generatim loquendi, *adjuvet nos, ut declinemus à malo, & faciamus bonum.* Dicit etiam ibidem, arbitrium Adami ita fuisse liberum, *ut bene velle posset, & malè.* Ex quo cave inferas, hujusmodi nostrum non esse, cùm contrarium mille locis doceat. Sed intelligitur potuisse ipsum, quin opus haberet, quemadmodum nos, ut ablata per peccatum ad bonum supernaturale facultas restituatur. De cætero per eandem<sup>1</sup> nos possibiliterem instaurari sœpius affirmat, *per quam Adamus, si voluisset, nec cecidisset.*

3. QUANDO gratiam primi parentis, per quam in justitiā perseverāset, si voluisset, comparat cum nostrā, *quā etiam fit ut velimus, confert vir sanctus gratiam in Adamo non operantem cum gratiā in nobis operante.* Nostra itaque operatur, illa poterat operari; at operata non fuit. Per nostram *fit, ut velit homo, & tantum velit, & tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate Spiritus vincat.* Quibus verbis indicat S. Doctoř ipsius efficaciam, certumque effectum. Hinc ait cum illā potuisse agere hominem, & non agere pro eo ac libero videbatur arbitrio; cum hāc autem reipslā nos operari. Et sanè gratia primo parenti concessa effectum fortita non est, quia ipsius arbitrium obstitit, & peccavit; Quæ autem nobis datur si consideratur ut agens, & quando homo ipsi juvante operatur, aut bonum appetit, nunquam certè effectu frustratur: siquidem ponitur juvare, effectumque producere; facere autem & non facere simul jungi non possunt. Expendamus nunc sigillatim expressiones illas, quibus magis, quam ceteris abutuntur novatores.

4. QUANDO ait, *potentiore nos gratiā indigere, eamque ex Salvatoris nostri meritis obtinere, non significat; quod gratia Adami ipsum quidem liberum reliquerit,*

nosfra autem nos tales non relinquat. Sed respicit impotentiam ad bonum supernaturale, quæ sinè præveniente gratiā relicta nobis fuit post peccatum; tentationum item multitudinem, & concupiscentiæ vim; quorum malorum in Adamo nullum erat, quæque omnia à gratiā in nobis vinci necesse est, & superari.

5. QUANDO ait: *adjutorium Adami fuisse non quo fieret, ut vellet; nostram autem gratiam tantò majorem esse, ut parum sit boni illam reparare perditam libertatem, nisi etiam efficiatur, ut velit, nobisque etiam det ipsum velle, consuetis utitur loquendi formulis, quas adhiberi etiam à Scripturā toties jam vidimus; & quibus aliud non significatur, quam Deum esse causam primam, & supremam, & facere, ut velimus, salvā rāmen semper potestate ad oppositum; quōdque dono ipsius tu facis, id illum dici facere, quia sine illo tu non faceres.*<sup>3</sup> Quo pacto posset per ista S. Doctor innuere, amitti ab homine ob gratiam præsentem libertatem indifferentiæ; cùm simul dicat primum ejus effectum esse, ut nos adjuvet ad recuperandam plenam illam libertatem, quæ erat in Adamo, quæque in pœnam peccati ex parte fuerat amissa?

6. QUANDO loquitur de adjutorio illo, inabijcibili, inamissibili, siquidem per ipsum jam omnia collata sunt, ad rectè ipsum intelligendum, advertendum est, loqui tum ipsum de perseverantia; advertendum simul duo dona diversa eodem nomine intelligi. Unum in eo situm est, *ut pergas; & est donum peculiare, quia facile sœpe est bonum agere; at in eodem persistere difficile est; aliud positum est in morte homini in gratiā constituto obveniente.* Primum denotatur nomine perseverantia; alterum, si additur *tō finalis.* De primo agitur, quando cuiquam de peccato se purgandum opinanti si dicaret: *perseverantiam non accepi,* Magister noster respondet: *O homo! in eo, quod audieras, & tenueras, perseverares, si velles.* De altero agitur, quando dicitur: *vitam, & mortem positam esse in arbitrio altissimi;* cùmque quis magis, aut minus differatur usque dum suprema adveniat hora quæ alium in gratiā offendat, alium in peccato occupet, ex hoc nullam homini partem deberi. De hāc perseverantia non dixisset (Augustinus perseverares si velles, quemadmodum alibi dixit: *bene ageres, si velles.* Neque dixisset bonos non perseveratores, nisi possint, & velint. Hæc aliam in se complectitur, & de hāc dicit, quod concedatur hominibus Cœlo destinatis,

(1) Con. Faust. l. 2. c. 28. (2) de corr. & gr. n. 31. (3) in Ps. LII. n. 5.

qui ubi tam fortis perseverantia usque in finem munus acceperint, dicere possunt: quis nos separabit? Aut si qui horum sint, quorum perseverantia in bono deficiat, reparatur, antequam ista vita finiatur; & deletat, quæ interveniat, iniquitate usque in finem perseverantia deputatur.

7. HANC igitur finalem perseverantiam confert Augustinus, non quidem propriè loquendo, cum perseverantia Adami, sed cum illâ ipsâ gratiâ, de quâ agitur, quâque datum ipsi fuit, ut perseverare posset, si vellet. Cum finali Adami perseverantia conferre illam non poterat, ut discriberem inter utramque offendenter; omnis enim perseverantia finalis idem importat. Immò nè quidem cum ejus continuatione. Non enim continuavit opus bonum, qui legem transgressus est. Subortam ipso quæstionem, in quâ enodâ duo hec capita insumpstis, initio exposuit his verbis: quæritur. <sup>1</sup> à nobis quantum attinet ad hoc donum Dei, quod est in bono perseverare usque in finem, quid de ipso primo homine sentiamus. Sed mox declarat, in eo veri argumentum, quod intelligi satis non queat, quid Adamus non perseverando peccârit, qui perseverantiam non accepit? Cui respondet, peccasse, quia per liberum arbitrium Deum deseruit. Ex quo colligere licet, comparisonem hic institui inter gratiam illam, qua uti poterat, & non uti, & illam nostram, quæ finalē perseverantiam complectitur; ac proinde utilis accidere nobis non potest: siquidem, qui eam consequitur, omne jam tum periculum evasit, & beatus continuò redditur. Hâc quippe de causâ vocat illud adjutorium, quod abjici non potest, nec amitti. Hâc de causâ ait Augustinus; primam libertatem voluntatis fuisse, posse non peccare: novissimam fore multò majorem, non posse peccare, dicitque primam fuisse perseverantiae potestatem, bonum posse non deserere: novissimam fore felicitatem perseverantiae, bonum non posse deserere. Hâc de causâ ait, datum fuisse primo adjutorio, unde posset perseverare, non unde perseveraret, relicto nimis effectu voluntati nostri arbitrii, quod perseverare non volebat. <sup>2</sup> Dum contrâ jam ad Coelum destinatis non tale adjutorium perseverantiae datur; sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur; ita quidem ut per hoc donum non nisi perseverantes sint. Adjutorium vocat illud peculiari suâ expressione, quia omnia reliqua ad perseverandum in bono usque in finem concessa adjutoria complectitur. Insolitus magis est loquendi modus, ubi beatitudinem vocat adjutorium, quo quis fiat beatus, eam-

que confert cum perseverantia. <sup>3</sup> Beatus, quam non habet homo, cùm data fuerit, continuò fit beatus: adjutorium est enim non solum sine quo non fit; verum etiam quo fit, propter quod datur. En quomodo finali perseverantiae tribuat tò perseverare; uti beatitudini esse beatum! Hoc igitur obtinet adjutorio omnia citra dubium obtinimus; cùm non possit amplius quis dicere: forsitan non manebit; sine penitentia sunt enim dona, & vocatio Dei. Cùm autem appareat, loqui ipsum de decedentibus in gratiâ; cùmque dicat, id quod apertius docet in libro sequente de dono persever. nimis, de illa se perseverantia loqui, quâ perseveratur usque in finem &c. perseverantiam verò usque in finem, quoniam non habet quisquam, nisi qui perseverat usque in finem, multi eam possunt habere, nullus amittere: neque enim meruendum est, nè forte, cùm perseveraverit homo usque in finem, aliqua in eomala voluntas oriatur, nè perseveret usque in finem.

VIDEAT obsecro lector, quantum abfuerint, & absint à rectâ binorum istorum capitum intelligentiâ omnes illi, qui indè solent deducere, opinari Augustinum actualis gratias, quæ post Adæ peccatum conceduntur, inferre necessitatem.

8. VIDEAT itidem, quâ longè discedat ab ejus sensis, qui utramque perseverantiam confundens, peccata adscribit impotentiæ antecedenti, quam habeamus pergredi in bono, quo fieret ut delictum non amplius foret nostrum; quique inde ea derivat, quod non concedatur nobis donum hoc ad salutem necessarium in pœnam culpæ originariæ, quanquam jam olim per baptismum abolite. Non agitur hâc de pœnaltatibus secundariis, quæ non auferuntur per baptismum, nec nobis eripiunt æternam salutem. Agitur de illâ gratiâ, sînè quâ non possumus in Dei perfidere anicitiâ, nec bene operari, quanquam idcirco vidimus uti millies docet S. Pater noster, nunquam nos deserere, nisi postquam nos ipsi eam turpiter deserimus. Nec juvat afferre dictum illud: <sup>4</sup> Nunc autem, quibus dœst tale adjutorium, jam pœna peccati est. Neque ex his verbis unquam confici potest, quod in odium peccati originalis sufficientibus auxiliis privemur. Si adjutorii nomine hâc intelligimus finalis perseverantiae & prædestinationis prædilectionem, hujus defectum licebit refundere in peccatum originis; non tamen idcirco aduliti necessariis privantur auxiliis, id quod repugnat voluntati communi Divinæ omnes salvandi. Quodsi intelligimus dœsse quandoque hoc adjutorium quo bene operari possumus,

(1) hic n. 26. (2) n. 34. (3) de dom. persev. n. 10. (4) de corr. & gr. n. 32.

& perseverare causa hujus defectus conferenda est in culpas actuales, & multiplicatas; nec ad originale peccatum, nisi in *iradicē*, quatenus nimis illud ceterorum fuit causa prima, ac remota. Eapropter Augustinus peccato originis tribuit infelicitatem eorum qui moriuntur non regenerati: adulorum vero peccatorum pœnam adscribit reliquis peccatis, quæ *boni*nes per liberum arbitrium *in super addiderunt*. Nunquam igitur dixit Sanctus noster, omni tempore negare Deum ulli etiam mortaliū auxilium ad bene agendum necessarium, neque id facere quandoque, nisi ei, qui propriis iteratisque flagitiis id demeruit, atque exclusit. De quo convinci qui cupit, non uni duntaxat inniti loco debet, sed advertere, quod etiam in hoc ipso libro statuatur: <sup>1</sup> *justè eos corripi, qui cùm bene viverent, non in eo perseverarunt; ex bonâ quippe in malam vitam sua voluntate mutatos esse.* Non autem, quasi desiceret eos gratia sufficiens. Repetit enim, transgressor possit ac debere oggeri: *perseverares, si velles.* Ex quo modo loquatur Augustinus, quando per perseverantiam non eam intelligit, opportuno tempore à morte occupari; sed in agenda bona vita pergere. Scribit hoc ipso in libro: *justificatum qui in malam vitam prolabitur, certè dicere non posse, non accepi:* hoc est non datum mihi fuit auxilium necessarium ad perseverandum, quia, pergit Augustinus, *acceptam gratiam Dei suo in malum libero amissit arbitrio.* Quo igitur jure dici potest, exstimassem ipsum, quod ex denegatione auxiliis ad perseverandum in bono necessario oriatur, ut non perseveretur? Verum quidem est, non dari omnibus, ut rapiantur antequam malitia mutet intellectum. <sup>2</sup> Hæ enim sunt gratiae supererogatoriæ, quas Dominus universi merè liberalitate, & puro puto arbitrio quibus vult, elargitur.

9. *U*BI Augustinus afferit: <sup>3</sup> *majorem libertatem esse necessariam aduersus tot, & tantas tentationes, qua in paradiſo non fuerunt, non contradicit sibi paulo post afferenti:* <sup>4</sup> *Nunc vero magnam illam peccati merito amissam esse libertatem quâ Adam omni perturbatione animi liber erat. Priore enim loco libertatis nomine intelligit gratiam: unde mox subiungit: & accipiunt per istam gratiam tantam libertatem, ut luctantes aduersus concupiscentiam, tametsi quandoque declinet, à meta tamen non aberrent.* Non primâ conditione sicut ille liberi, sed per secundum Adam Divinâ gratiâ libertati... perseverantes in justitia, in quâ stabunt usque ad finem, donante sibi illo perseverantiam, qui eos prescivit, & prædestinavit. Pergit dicere, perseverantiam Adæ, positam suis-

se in ejus arbitrio, quia nullum in voluntate experiebatur obstatulum, præsente licet Deo ipsum ea abusurum; non tamē ad hoc cogente. Relicta autem nobis lucta fomitis, majoribus domis adjuvanda remansit infirmitas. Neque ullâ de re efferre nos possumus, properea quod nullum habemus meritum, quod verè nostrum fit.

*Animad-  
verio de  
Janjenio.*

10. *Quod Janjenius erronei sui systematis machinam huic præcipue loco, ubi auxilium finè quo non, & auxilium quo à se in vicem discriminantur, inædificari, contendatque hanc esse veram, atque unicam clavem universi Augustiniani dogmatis; id enim verò in causa est, cur tria adhuc eam in rem verba adjungamus. Calvinus eò progressus non est, quanquam idem intendet, vicenis facile vicibus eodem Sancti nostri verbo suis in operibus referens.*

*Argumen-  
tum ad ho-  
minem.*

VERUM qui credi potest medullam doctrinæ suæ in unâ consistere distinctione, quam in tot insignibus de gratiâ tractatis bus nusquam adhibuit; & cujus tantummodo mentionem fecit, occasione cuiusdam similitudinis sibi objectæ? Quid demum causæ est, cur secura ejus opinionum interpretatio peti debeat ex uno solo loco, qui variè intelligitur, & explicatur, quando hâc de re tories egit verbis adeo perspicuis? Qui factum est, ut Magister sententiarium, qui in materiâ de gratiâ maximè notanda Authoris nostri dicta tanto studio collegit, vim hujus distinctionis non senserit, nè illius quidem facta mentione? Idem dici de S. Thomâ, & aliis, qui totum compilârunt Augustinum, & tam multa ex eo depropulsérunt. Sed, ut redeamus ad hunc locum, cur demum unum ex hisce adjutoriis Adamum relinquerebat liberum; & aliud modo nos non æquè relinquere liberos, docente Magistro nostro pluribus in locis recuperari per illud pristinum statum libertatis, & in hoc ipso libro: per illud reparari perditam libertatem? Dicere, quod per auxilium quo faciamus, & operemur, non est plus afferere, quam afferit D. Paulus, quod Deus operetur in nobis veile, & operari. De hoc autem dicto difficultatem quilibet movere posset, nisi qui se ad Augustinum provocare profiteretur, utpote qui sepiùs, & etiam in libro nuper relato, & ceteris huc pertinentibus docet, & declarat: non quia dixit &c. ideo liberum arbitrium alſulisse putandus est.

Fas sit interponere hic quandam animadversionem. Si totum contextum attendimus, credibile videtur, institui hâc comparisonem inter gratiam hujus vitæ, quamdiu viatores sumus, & gratiam illius, qui ob imperatam perseverantiam finalē, ex quâ gloria emergit, jam in tuto est. Dicit

(1) n. 11. (2) Sap. IV. 11. (3) de don. persev. n. 35. (4) n. 37.

enim initio: diligenter observanda esse *bina* ista &c. posse non peccare, & non posse peccare; posse non mori, non posse mori. Unum igitur eorum, de quibus agitur, est status ille, in quo non possumus amplius peccare, & mori. Sanè sequitur: *Prima ergo libertas voluntatis erat, posse non peccare: novissima erit multò major, non posse peccare; prima immortalitas erat, posse non mori: novissima erit multò major non posse mori.* *Prima erat perseverantiae potestas, bonum posse non deserere: novissima erit felicitas perseverantiae, bonum non posse deserere.* Sequitur item: *Itaque ipsa adjutoria distinguenda sunt.* Aliud est adjutorium sine quo aliquid non fit; & aliud est adjutorium, quo aliquid fit. Adjutorium quo porro explicat, petito exemplo à beatitudine, quam non habet homo; at cum data fuerit, continuò ea sit beatus: adjutorium est enim non solum sine quo non fit, verum etiam quo fit, propter quod datur. En, quomodo hic nomine adjutorii insigniat causas formales, cur sint; beatitudinem quidem, quod per eam sint beati, perseverantiam, quod per ipsam sint perseverantes. Non igitur solam intelligebat perseverantiam, sed etiam imperatram finalem. Quomodo igitur hinc deduci potest, necessitatem esse illam gratiam, quae viatoribus conceditur? sed admittatur secundum communio rem sententiam hæc doctrina. Si per auxilium sine quo non intellexit gratiam sufficientem; & per auxilium quo efficacem, quâ demum auctoritate, quo ratiocinio eritur per efficacem everti libertatem & potentiam? Notum omnibus est, scholas omnes Catholicas ex suis facile principiis hanc difficultatem dissolvere. Et si etiam argumenti sublimitatem perspicuè dissolvi non posset, non graventur saltem adversarii, quandoquidem ad Augustinum provocant, observare, quo modo ipse hoc suum claudat ratiocinium; & quid deum ex universâ suâ utriusque hujus auxilii comparatione eruat. *Major quippe libertas, inquit, est necessaria adversus tot, & tantas tentationes, quæ in paradiſo non fuerunt.* Ipsum nomen adjutorii per se significat satis, de juvando hic agi arbitrio; non de evertendo.

VII. Sequitur paragraphus ante à nobis relatus, in quo præter dicta toties recöta habetur sententia adeò ab illis, qui malè eam interpretari cuperent, decantata: quod modo voluntas humana agatur à *Divina gratia indeclinabiliter, & inseparabiliter*, vel, ut quidam mallet legere *insuperabiliter*. Ex hac tenuis dictis plana redditur verborum istorum intelligentia. S. Augustinus toto illorum paragraphorum cursu habitualem gratiam Adami, quæ sui arbitrii vitio operata non fuit, modò

confert cum nostra actuali operante, vel cooperante; modò cum gratiâ perseverantiae finalis. Hoc posito manifestum est, quod vi propositionum contradictiarum, quæ simul jungi non possunt: gratia quæ in effectu producendo primas tenet, & gratia perseverantiae finalis jam obtentæ, quæ post se trahit gloriam, reditque impeccabilem, non possint ab habente separari: fieri enim nequit, ut eodem tempore quis sit, & non sit; faciat, & non faciat. Sed ex hoc nullo modo inferri potest, à gratiis actualibus, libertatem, & potentiam everti.

2. NOTARUNT jamtum alii, quod editio Augustini à Theologis quibusdam Lovaniensibus quorum aliqui ex Baji scholâ erant, curata lectionem hic immutârunt, <sup>Emendatur</sup> <sup>locus Augu-</sup> <sup>stini ex</sup> <sup>MSS. &</sup> <sup>primit. ed-</sup> <sup>tionibus.</sup> *insuperabiliter* in locum *rè inseparabiliter* substituens, affirmans ita legi in MSS. nullo interim nominato, omnibusque editionibus anterioribus impressis communice reclamantibus. Prima libri hujus editio, quæ proinde tota certissimè è MSS. defumpta fuit, & Basileæ prodidit, legit: *inseparabiliter*; ita & secunda; ita & Eracliana, quæ alia iterum, Veneta, Parisina, aliarumque Civitatum MSSa consuluit. Ita legit semper Calvinus, in cuius rem vel maximè suis est *rè inseparabiliter*. Manifestum igitur est, mutationem hanc esse illegitimatam: unde Theologus ille Dominicanus, qui longo tempore post *Concordiam Augustinianam* desudavit Parisiis, non adoptavit novam lectionem; sed antiquam, & communem retinuit; licet recufæ postea editiones cœco impetu dictam propositionem describentes, nullâ adductâ ratione posuerint *insuperabiliter*. Præter auctoritatem veritati etiam huic suffragatur ratio. Observetur solummodo contextus ratiocinii, sensus, item & scopus hujus periodi: *Subventum est igitur inseparabilitati voluntatis humanae, ut Divina gratia indeclinabiliter, & inseparabiliter ageretur, & ideo, quamvis infirma, non tamen desiceret, neque adversitate aliqua vinceretur.* Ad fortè semper reddendam voluntatem, opus erat gratiâ ab ipsâ inseparabili. Atque ideo ita solitus fuit loqui Augustinus, quare dixit in lib. de nat. & grat. sine ipsâ non fore à nobis *inseparabilem possibilitatem*; malè item contendere Pelagium *possibilitatem non peccandi inseparabiliter in istam naturam*. Contra verò non reperitur S. Doctor hæc in materia usquam adhibuisse vocem *insuperabiliter*. En igitur, quâm carioso nitatur fundamento, qui imaginarium hoc *insuperabiliter* etiam in quotidianis congressibus & conviviis decantare auditur, eique totam suam mollem imponere.

3. Sec

3. SED ponamus, scripsisse Sanctum insuperabiliter, quid inde? longè aliud sanè hinc duceretur coniectarium, quam quod veteres & novi perturbatores contendunt. Sensus foret: ita per gratiam confirmari, corroborarique voluntatem, ut omni adversario reddatur insuperabilis, atque, ut immobilis ejus persistat voluntas, non reperiatur tentatio, qua vincere eam valeat, aut vi expugnare. Perperam adseritur hic locus, quando non recitatur nisi dimidiatus. Agitur voluntas à Divinā gratiā indeclinabiliter & insuperabiliter. Integer sic habet: Subuentum est igitur insuperabilitati voluntatis humanae, ut Divinā gratiā indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur. Et ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur. Non agitur hic de virtute quādam, quam contra voluntatem, sed quam pro voluntate, ejusque bono gratia exserat. Hoc est ipsissimum idioma S. Joannis Chrysostomi, cùm dicit: Adamante duriores<sup>1</sup> nos fecit Divina gratia, atque omnino inexpugnabiles, si velimus. Uti verba, ita & sensus idem foret, si Augustinus scripsisset: insuperabiliter. Insuperables certè nōs reddit gratia; at non reddit nisi nostra liberè concurrat voluntas, eique se adjungat. Absurdum profectō est, contendere, quod Author noster doceat, insuperabiliter expugnari voluntatem, atque attrahi; dum ē contrario afferit corroborari illam insuperabiliter, atque contra adversarios defendi. Sic ait deinde, quod fortissimum id est illum, qui sanum habebat arbitrium, Deus suo reliquerit arbitrio, permisitque facere, quod vellet; quin vehementius ei præberet auxilium; quoniam habebat sufficiens ad hoc, ut perfectè posset. Infirnos autem magis munivit gratia, servans illis, ut ipso donante invictissime, quod bonum est, vellent; & hoc deferebat invictissime nollent. Hæc de his intelligit, qui prædestinationi sunt in regnum Dei, de quibus hic se loqui profitetur, & qui finalē consequuntur perseverantiam, ut Deo donante (donante, inquam, non cogente; siquidem nihil unquam boni agimus sīne ejus dono, nec sīne libero arbitrii consensu) invictissime velint. Hæc est vis illa, quam gratia communicat cum libero arbitrio, ut à suis ipsi adversariis inferri vis nulla possit.

4. EXISTESSIT idem alio modo in libro de perseverantia: Possibile est Deo adversari, & adversari in fidem suam hominum convertere voluntates, & in eorum cordibus operari, ut nullis adversitatibus cedant, nec ab ipso

aliquā superati tentatione discedant. En gratiam illam indeclinabilem, inseparabilem, & insuperabilem! Totum hoc exponit subiungens, non permettere Deum, nos tentari super id, quod possimus. Hoc quippe modo agit gratia, ut nullā superemur tentatione. Tandem asserimus, quācunque vehementer ac hyperbolicā expressione indicari certitudinem aetūs, nunquam autem destructionem potentiae. Dic, si voles, gratiam invictissimam, victoriosissimam, omnipotissimam, modo ut non tollat illa potentiam ad oppositum, nec intelligas ira eam duntaxat à Deo dispensari, ut qui ipsam eo in gradu non habet, omnia alia privatus existat, nihil dogmati officies. Nunquid, quia dixit Apostolus: Deus est, qui operatur in nobis & velle, & opevari, pro bonā voluntate suā; ideo non ipse, & ut velimus, quæ Deo placeant, & ut operemur fortatus est? An forte quia dixit: qui in vobis bonum opus caput, perficiet . . . ideo, ut incipient homines, & perseverarent usque in finem, ipse non suāst? Vide sis, annon plenum faciat Sanctus, nec prædestinationem, nec quodvis aliud gratiæ genus libertati officere; siquidem non hortamur, non persuademus, ut quis faciat, qui faciendi, & non faciendi potestatem non habet. Quæ in hunc locum dicta sunt, applicentur ad omnes reliquos, quibus gratiæ virtus, & efficacia variis modis extollitur. Neque ideo subvertitur Scriptura, in quā dicit Deus:<sup>2</sup> Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mibi januam intrabo ad illum. Neque ideo Patris nostri evanescit doctrina:<sup>3</sup> Quod pluit in agrum uberem, dulce est, & quod pluit in agrum spinosum, dulce est. Nunquid pluviam accusat, qui spinas genuerit? nonne erit pluvia illa testis in iudicio Dei, & dicet: ego dulcis super omnes veni? Affirmavit Augustinus, quod<sup>4</sup> hæc duo, scilicet natura, & consuetudo conjuncta robustissimam faciant, & invictissimam cupiditatem. Innuere hoc voluerit, verè eam vinci non posse, quando toties inculcat, ut omnis peccator propterea de se non desperet,<sup>5</sup> sed clamet etiam de profundo ad Dominum,<sup>6</sup> quemadmodum feli-citer fecere Ninivitæ?

5. PERSTRINGIT deinde aliqua author noster de prædestinatione. Definitus est prædestinationis numerus; quam ob causam dixit S. Joannes Baptista ad Hebreos:<sup>7</sup> Nolite dicere apud vosmet ipsos: patrem habemus Abram, & facite fructus dignos pœnitentiae, alios enim suscitabit Deus. Ut ostendat sic, ipsos esse amputandos, si non

(1) Chrys. in Genes. Hom. 4. n. 2. ἀδειαντος γαληνης ομηρικης οντοτητος, κατανατησαντος, ιδια βαλοποδησα. (2) Apoc. III. 20. (3) in Ps. LXIII. n. 19. (4) ad Simplic. I. I. qu. I. n. 5. (5) Serm. 170. n. 1. (6) Serm. 391. n. 12. (7) n. 39.

fecerint fructum, ut non defit numerus ... & apertiū in Apocalypsi: Tene, quod habes, nē alius accipiat coronam tuam. Sequuntur sententiae etiam alias adductæ, quod vita æterna etiam vocetur gratia, quia bis meritis redditur, que gratia contulit homini. Et alibi: quod tunc pro bonorum operum meritis justo iudicio etiam ipsa misericordia tribuenda sit. Addit denuo consuetas loquendi formulas, quas intelligere oportet in ordine ad ejus doctrinam de iis qui erunt, vel non erunt de felicissimo illo numero, quique vel consequentur vel non consequentur gratiam finalis perseverantia. Videt Deus, quis sit, & quis non sit perseveratus. Expedit tamen nobis, id ignorare; nē fortè quis extollatur; sed omnes etiam qui bene currunt, timeant, dum occultum est, qui perveniant. Recenset item eos, qui gratiam Dei suscipiunt; sed temporales sunt, nec perseverant; deserunt, & deseruntur.

VIII. A rubridicta recolere incipit, insinuat primò, non contemnandam esse corruptionem, nec de ipsa contra gratiam argumentandum, more Pelagianorum; properea quòd Deus hoc sèpe medio utatur, ad aliquem in rectâ vitâ aut primùm collaudandum, aut denuo reponendum. Observari meretur, quod extremis paragaphis repeatat, *Deo volenti salvum facere nullum hominum resistere arbitrium; sic enim velle, vel nolle in volentis, aut nolentis esse potestate*, ut *Divinam voluntatem non impedit, nec superet potestatem*. Sine omni dubio humanas voluntates Dei voluntatione posse resistere, quominus faciat ipse, quod vult; quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus quod vult, cùm vult, facit. Habeere ipsum humanorum cordum, quòd placet, inclinandorum omnipotentissimam potestatem. Habere magis ipsum in potestate voluntates hominum, quād ipsi suas. Ita & libro proximo de prædefinitione: *Gratia à nullo duro corde respuitur*. Hæc omnes sunt propositiones æternæ veritatis, nec quidquam præ se ferunt difficultatis. Cave tamen credas contradicere hic Augustinum fibimet ipsis, aut ducentis vel trecentis illis locis, quos nuper retulimus, & quibus doctissimè statuit, posse resisti Divinæ gratiæ; libertatem indifferentiæ nunquam auferri; consentire nostrum esse; Dei esse vocare; hominis autem venire; non adjuvare Deum, nisi unā operemur. Nos esse in culpa, nunquam vero Deum, cùm malè operamur. Quis, nisi erroræ planè mentis sit, possit in dubium vocare, an omnipotens rerum omnium conditor ita uti Cœlum & terram, ita & nostras in manu sua habeat voluntates? atque uno sèpe nutu

cor etiam durum maximè, & obstinatum ad se inflectat? Quis contra addubitare ausit de exacta, constantèque veritate eorum, quæ toties nos Deus ipse docet in SS. Literis quod nos constituerit perfectè liberos, quod voluerit penes nos esse optionem, vitam & mortem pendere ex nobis? Bina autem hæc veritates quo pacto concilientur intellectu facilius est, quām explicatu. Deficiunt nos voces, deficiunt verba quæis declaremus id quod omnis cæteroqui homo prudens amplectitur, censer, & secum ipse judicat. Rudes quandoque matres, ac plebejas audies quandoque puerulis suis inclamantes. *Orate Deum, ut moveat divitem illum ad ferendam vobis opem!* Quo discimus, esse hunc sensum à naturâ nobis impressum, quod ex Deo hominum pendeant voluntates. Easdem ex adverso mulieres audias, cùm quis flagitium quoddam committit, non Deum, aut defectum gratiæ, sed pravam peccantis incusantes voluntatem, eique omne supplicii genus imprecantes. Ex quo vicissim liquet sensum esse naturæ, quod liberi simus, omneque à nobis profiscatur malum. Difficultas itaque in eo solum est, ut hujus rei modum intelligamus, illudque explicare conemur, quod explicari perspicue non potest. Quisquis hoc facere conatus est, aut conabitur, non potuit, nec poterit id præstare, quin videatur ad alterutrum ex erroribus hisce veritatibus oppositum nonnihil accedere. Acuta illa ingenia, quæ proximis sæculis per varia theorematâ, per vias diversas, novâque vocabula se accinxere ad mysterium hoc explanandum, non liquet satis, an aliud disceptando consecuta fuerint, quām excitare dissensiones, & difficultates, novâque in scholas quæstiones invehere. Doctissimorum, quotquot longâ sæculorum serie floruerunt, Patrum nemo unus hanc sibi spartam sumpsit. S. Augustinus, qui prope plus quām humano fertur suisse ingenio, hoc in argumendo versatus fuit nunquam. Neque aliud ad duo hæc dogmata concilianda, scriptum ad posteros transmisit, quām, *utrumque verum esse*, <sup>1</sup> uti paulo ante vidimus. Ita & alibi: <sup>2</sup> *Si tibi proponam quæstionem, quomodo Deus Pater attrahit ad filium homines, quos in libero arbitrio, fortassis eam difficile soluturus es. Quomodo enim attrahit, si dimittit, ut quis, quod voluerit eligat?* & tamen *utrumque verum est*. Ita in Retractionibus: <sup>3</sup> *Et utrumque ipius est, & utrumque nostrum*. Ita in ultimo suorum operum, quo responder objectis à Juliano difficultatibus: <sup>4</sup> *Ideo utrumque verum est, quia Deus preparat vas in gloriam, & quia ipsa se preparant*. Atque

(1) de gr. & lib. arb. n. 42. (2) Con. lit. Petil. l. 2. c. 84. (3) Retr. l. 1. c. 23, n. 3. (4) Op. imp. l. 1. c. 134.

hic pedem figit, nihil plus ad Theologiam Christianam necessarium fore judicans. Vidimus paulò antè, quomodo monuerit Adrumetinos Monachos in hac materia dicto utens Apostoli, nè velint plus sapere, quam oportet sapere. Simili ferè modo insignis hic Pater non reperiebat modum explicandi satis, quâ ratione transeat ad nos peccatum originis. Sufficiebat ipsi videre dilucide expressum in SS. paginis, illud re verâ in nos transfire. An forte intelligimus nos id, quod multò est facilius, res, inquam, naturales, quæ nos tristis sub sensu cadunt? <sup>1</sup> Quid est ergo tempus? dicebat Augustinus. Si nemo ex me querat, scio; si quærenti explicare velim, nescio.

2. ADIUNGEMUS adhuc quandam anamadversionem. Quando homo resistit, & peccat, non dici continuò potest, quod Divinam supereret voluntatem, quæ ex una parte absoluta non erat, sed conditionata; ex alia verò hoc non obstante semper impletur. Audiamus Magistrum: <sup>2</sup> Nec ideo credant iniqui, Deum non esse omnipotentem, quia multa contra ejus faciunt voluntatem: quia & cùm faciunt, quod non vult, hoc de his faciunt, quod ipse vult. Pergit indicare, quomodo & tum aut inficta pœna, aut oblatâ misericordiâ semper ejus perficiatur voluntas. Sic dixit de Adamo, & Angelis: Peccando <sup>3</sup> quod Deus noluit, fecerunt; quantum autem ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere valuerunt. Facile foret, atque expeditum altissimo uno etiam nutu irâ ad se omnes pertrahere, ut repugnare nemo posset, nec ullo etiam modo resistere. At hujusmodi nobis conferre beneficium non voluit; quandoquidem statuerat, ut libertatis nobis obveniat meritum, suoque munitus auxilio quisque relinquatur in manu consiliî sui. <sup>4</sup> S. Joannes de quibusdam dixit Judeis: <sup>5</sup> Non poterant credere, non quia mutavi in melius homines non possint; sed quamdiu talia sapiunt, non possunt credere. Hoc nihil incommodat, quæ sanctus Doctor millenis in locis docet: quod <sup>6</sup> Nunquam legamus in Scripturis Sanctis. Non est voluntas (hoc est accusus voluntatis) nisi à Deo, & quod recte scriptum non sit, quia verum non est: alioquin etiam peccati, quod absit, auctor foret Deus, si non est voluntas, nisi ab illo. Neque obstat ejus regulis, quod inclinare cor simul sit. <sup>7</sup> & Divini munera, & propriæ voluntatis; quod <sup>8</sup> non sufficiat sola misericordia Dei, si non sit etiam voluntas hominis, & quod magnum <sup>9</sup> profectò sit adiutorium Divinae gratiae, ut cor nostrum, quo voluerit, ipse declinet.

DEUM esse causam primam, universalem, & supremam nil impedit per Augustinum, quominus etiam à causis secundis verè procedant effectus; idque secundum vim actusam, quâ dotaæ, & ordinem, in quo à Deo collocatae fuerunt; si liberæ sunt, agunt liberè, si necessariae, necessariò. Parum deceret Omnipotentiam, si non efficienter & propriâ virtute produceant effectus, quibus producentis conditæ ac natæ fuere. Quod eas actu conservet Deus, & unâ cum illis ad ipsarum operationes perpetuò concurrat, non efficit, ut effecta propriè non sint ipsarum. Constat ex Magistro nostro posse dici de generatione naturali, nihil facere procreantem, sed Deum qui factum fingit, <sup>10</sup> sicut ait *Apostolus de institutione Spirituali*, nihil agere eum, qui plantat, sed, qui increverunt dat, Deum. Quemadmodum autem hujusmodi expressionibus suaderi non debet, non esse nos parentum nostrorum filios, itâ nec deceperunt suaderi, actiones nostras in genere moris non esse liberos voluntatis partus. Dicit præterea Sanctus: <sup>11</sup> Nec mater mea, vel murices... sed tu Deus mihi per eas das alimentum infan- tia. An ideo intelligendum erit, non ab ipsis lac eum hausisse? ad collustrandos, quicunque hujusmodi dicunt, quibus suprema Dei causalitas exprimitur, adeò crassâ Minervâ accipiunt, quisque adiutorium quo, adeò sinistrâ ac absolvè interpretantur: itâ in postremo suo opere locutus videtur Augustinus: <sup>12</sup> Si operatur Deus in homine voluntatem bonam, id utique agit, ut oriatur ab illo bona voluntas, cuius est voluntas: sicut agit, ut homo oriatur ab homine. Non enim, quia Deus creat hominem, ideo non homo ex homine nascitur. In ipsis itaque sententiâ adiutorium, quod modò datur, & quod dat velle, non facit ut volitio non libere veniat à nobis, neque itâ à nobis oriatur, ut filius à patre.

CONCLUDIT demum Author, ab his itaque ad quos pertinet, corripiendos esse homines, licet non comportum habeamus, cui profutura sit admonitio, cui non sit profutura. Non enim... ante finem vitæ hujus de aliquo desperandum esse. Posset etiam separationem à grege fidelium, quæ fit auctoritate Episcopi, cuidam cedere in salutem. Claudit librum, ex dictis confidendo: quod nec gratia prohibeat correptionem; nec correptione neget gratiam; & ideo sic sit præcipienda justitia, ut à Deo gratia, quâ id, quod præcipiatur, sit, fidelis oratione poscatur; quibus verbis confirmat, quale fuerit Tractatus sui argumentum, & scopus.

(1) Conf. l. 11. n. 17. (2) Serm. 214. n. 3. (3) Enchir. c. 100. (4) Eccl. XV. 14. (5) in Joan. Tract. 53. n. 10. (6) de Spir. & lit. n. 54. (7) in Ps. CXVIII. Serm. 23. n. 8. (8) Enchir. c. 29. (9) ibid. (10) de gr. Chr. c. 23. (11) de Civ. l. 22. n. 2. (12) Conf. l. 1. c. 7. (13) Op. imp. l. 5. c. 12.

IX. HAUD multò post, aut forsan paulò ante librum jam relatum scripsisse videtur epistolam ad Vitalem Carthaginem, quò eum à Semipelagiano errore revocaret, solitis ei argumentis commonstrans, ad primam etiam fidem & primam volitionem nos à Deo juvari non extensis modò subsidiis, sed etiam interiore gratiā; ipsiisque voluntatem bonam, qua incipimus velle credere, esse ejus donum, quia prævenit, ... nec eam cuiusquam inventit in corde, sed facit. Quo significatur, nihil ex se posse voluntatem, si gratia eam non excitat; & quā simul expressione vult innuere, non sufficere exteriora subsidia, quare sequitur: *Si ergo ita præpararet, atque ita operaretur Deus hominis voluntatem, ut tantummodo legem suam, atque doctrinam libero ejus adhibere arbitrio, nec vocatione illa alta, atque secreta sic ejus ageret sensum, ut eidem legi, atque doctrinæ accommodaret assensum, quo casu sufficeret lectio, vel concio; nec opus foret orare Deum, ut facimus, ut ad fidem infidelium corda convertat.* Dicit alio loco: <sup>2</sup> *De hac potestate tenebrarum eruuntur & parvuli, cùm regenerantur in Christo.* Neque hoc apparet in eorum arbitrio liberato, nisi cùm ad annos pervenerint ratione utentis etatis, habentes consentientem doctrinæ salutari, in quā nutriti sunt, voluntatem. Credebat igitur, plenam liberationem arbitrii cum aptitudine ad pietatem supranaturalem baptizatis omnibus obvenire; credebat, ex fide etiam partem habere assensum, ipsumque eó requiri. Non potest igitur contrario sensu intelligi quando postmodum dicit, Mediatorem hosti valido, *si eripere vasa ejus, quæcumque prædestinavit eripere, arbitrium eorum ab ejus potestate liberare, ut illo non impediente credant in istum libera voluntate.* Neque cùm ait: *Nos liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidisse.* Id quod aliud non significat, quām quod id facere nequeamus ex nobismet ipsis. Neque sensu libertati adversante accipiendum est, quando in 12 regulis à se in hāc epistolā propositis dicit, *gratiam non omnibus hominibus dari;* quia ex frequenti suo, aliorūque Patrum antiquorum usu gratiae nomine intellexit fidem Christianam, & baptismum; id quod manifestum est; quandoquidem premiserat, non liberari, nisi illos, qui per gratiam renascuntur in Christo. Docet alibi, dari tamen adultis gratias, quas remotas ad fidem dispositionis appellare fas sit. Afferit deinde, quibus ista conceditur gratia, non concedi eam ob merita voluntatis, id quod speciatim elucet in parvulis. Addit postmodum jul-

to Dei judicio *gratiam istam non dari similem habentibus causam;* nulla licet voluntate distantibus; id ipsum quoque de parvulis intelligens. Familiares hi ipsi sunt modi ad indicandum; gratuitam esse gratiam baptismi, & fidei. Statuit præterea, unumquemque relaturum mercedem secundum sua opera, & omnem, qui credit in Deum, sua id facere voluntate, ac libero arbitrio; ac concludit dicendo, omnes 12 regulas ad unam hanc referri quæstionem, *utrum hæc gratia, scil. prima, præcedat, an sequatur voluntatem.*

ATTINGIT in hāc epistolā perseverantiam finalem, quæ quo jure non sit gratia Dei, cum finis ipse vita hujus, non in hominis, sed in Dei sit potestate? Exprobritidem Semipelagianis. *Quomodo dicuntur negare liberum arbitrium, qui confituntur omnem hominem, quisquis suo corde credit in Deum, non nisi sua voluntate credere?* cùm potius illi oppugnant arbitrium liberum, qui oppugnant Dei gratiam, qua verè ad bona eligenda, & agenda sit liberum. Notat porro, quod pro infidelibus obstinatis, qui refragantur prædicationi, ipsum Deum recti fide regenitus, ut velint, gratiasque agamus quando obstinatos, impiosque persecutores ad se ipsum omnipotensissimam facilitate convertit. Concludit, si gratias persolvimus Deo, quod volentes ex nolentibus sunt, oportere fateri, voluntates hominum Dei gratiā præveniri.

X. PRODEUNT nunc demum in Scenam duo libri de prædestinatione. Verum paucus de his supersunt nobis dicendis; quia jamtum libro decimo abunde de his disputavimus. Significatum fuit Augustino, ex libro suo *de correptione*, majores, quām ante, enatas fuisse turbas, ob dicta quædam illius perperam intellecta. Quore ex instituto contra Semipelagianos scribere aggressus est. Ostendit in his auctoritate, & rationibus, gratis à Deo primam fidem concedi. <sup>3</sup> *Operatur Deus fidem nostram, mihi modo agens in cordibus nostris, ut credamus.* Mirus ille modus consistit in operatione, quæ liberò non officiat arbitrio, cùm saperunero docuerit, ne ipsam quidem fidem solius Dei esse, nec liberi tantummodo arbitrii. Exponit in quo potissimum sit ipsorum error; indigitans ea, quæ ipse quando eodem occupatus fuerat, sibi perfuaserat. Neque enim fidem putabam Dei gratiā præveniri, ... ut autem prædicato nobis Evangelio consentiremus, nostrum esse proprium, & nobis ex nobis esse arbitrabar. Iactationem illam, quod à se ipso quis fidem habeat, affirmat pugnare cum magnâ illa veritate: *Quid habes quod non acceperisti? Non*

(1) Epist. 217, n. 3. (2) n. 9. (3) de præd. SS. n. 6. & seqq.

quia credere, vel non credere non sit in arbitrio voluntatis humanæ, sed in electis præparatur voluntas a Domino; ideoque eam nemo habet sine ipso. Oggerebant adversarii: *Volunt ergo isti credere, volunt illi. Quis hoc ignorat? quis hoc negat? sed cum aliis præparetur, alius non præparetur voluntas a Domino, discernendum est utique, quid veniat de misericordia ejus, quid de iudicio.* Frustra hoc loco nititur, qui cuperet mali causam in Deum conferre. Generali gratiæ præparat Deus omnibus voluntatem, speciali autem non omnibus. Immo illi etiam, qui Evangelium non audierunt, quandam Dei vocem in animo exaudiunt. Ubi Author noster ipsis in memoriam revocat, quod audientes verbum Dei sese occurrerint, atque inducent, nè aditum ullum errori relinquat, subiungit: *Et tamen illi, quia voluerunt, crediderunt: illi, quia noluerunt, non crediderunt.*

2. **MULTA** disputat in illud Joannis: *Omnis, qui audivit a Patre meo, & didicit, venit ad me, quo aliud non innuitur, quā nullum esse, qui audiat a Patre, & discat, & non veniat ad me.* Intelligi hic eos qui veniunt ad fidem, quia exponit: *multos venire videmus ad filium, quia multos credere videmus in Christum.* Sed ubi, & quomodo a Patre audierint hoc, & dicterint, non videmus. *Nimium* (\*) *gratia ista secreta est; gratiam verò esse quis ambigat?* Hæc itaque gratia, quæ occulat humanis cordibus Divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respicitur: ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus afferatur.

QUIBUS confirmatur adversus Semipelagianos, vocationem, & fidei initium soli Deo deberi. Egit etiam alibi de eodem hoc loco: <sup>1</sup> *Si, sicut veritas loquitur: Omnis, qui didicit, venit, quisquis non venit, profectò nec didicit.* Quis autem non videat & venire quenquam, & non venire arbitrio voluntatis?

3. **QUIA** igitur Divina gratia dilucidè promicat ex eo, quod nos ad fidem adduxerit; quia item requiritur ut ipsa tanquam ad omne bonum necessaria præcedat, necessarium esse magnâ hic energiâ exigit, ut credamus, <sup>2</sup> *minquam eorum fidem, pro quibus oratur, ut credant, Dei prævenire gratiam.* Et quoniam per primam gratiam ali credunt, alii non credunt, dic: *illis dari, ut credant, illis non dari.* Quia interiores non cuncti aures aperiunt, foris audiunt, intus non audiunt, neque discunt. Totius dissertationis scopus alias non est, quā ut statuatur, donum esse gratuitum, nihil procedere ab homine, & trahi a Patre... nihil aliud esse, quā

donum accipere, quo credit in Christum; sine illo enim credere non poterat. Si autem hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari contingat, non idcirco incusari potest Divina justitia; siquidem, quando in primo parente unusquisque peccavit ex uno omnes iverunt in condemnationem. Unde constat, magnam esse gratiam, quæ plerique liberantur. Quod autem liberentur uni, non item ali, mysterium est, quod Deus occultum esse voluit, quodque scrutari velle temerarium est.

4. **ADFERT** longum alterius sui libri fragmentum, quo quæsierat, quam ob causam adeò longo post tempore Christus venerit? quóque docuerat, salvis rationibus aliis occultioribus, quæ subesse possent, *tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant crediti.* Quod hic non respuit, sed ait: *posse etiam sic dici: Quando, & ubi sciebat esse, qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem.* Quid enim est verius, quām præscisse Christum, quinam essent in se crediti: sed utrum prædicato sui Christo a se ipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumpturi; id est, utrum tantummodo eos præsicerit, aut etiam prædestinaverit Deus, hanc tum temporis discutere quæstionem non existimavit necessarium. Non referemus reliqua hujus libri: Non enim immoramus nisi iis, quæ difficultatis quidquam praefere ferunt; deinde etiam nè recoquere denuo necesse fit, quæ toties jamtum hæc in historia repetere oportuit. Legitur sub finem: *inclinari a Deo hominum corda, ut hoc velint; eo scilicet inclinante, qui in nobis mirabil modo, & ineffabiliter operatur, & velle.* Paradoxum inexplicabile consistit in eo, quod hæc operetur, quin arbitrio nostro obsit, aut impedit voluntatem, quominus liberè se determinet. Quodsi non foret, ipsè suâ nos omnino ad volendum omnipotentia constringeret, mirum planè non esset, quocunque demum modo id faceret.

XI. **ALTER** liber inscribirur de perseverantiâ, quia de eâ prolixè ibidem differitur. Adversarii Augustini non erant amplius Pelagiani, <sup>3</sup> ut omnes virtutes, earumque actus Dei dona esse negarent. Erant Semipelagiani quorum heresis ad duo revocabatur capita, quod nimis fidem nos & incipere habere, & in eâ usque in finem perseverare, tanquam id non a Domino accipiamus, nostrum esse contendere. Reliqua omnia concedebant, solum initium fidei, & usque in finem perseverantiam sic in nostra constituebant potestate, ut Dei dona esse non putarent; nec volebant

(1) de gr. Chr. n. 25. (2) de præd. SS. n. 15. & seqq. (3) de bon. pers. n. 43. Neque enim Pelagiani sunt.

Deo aliquam in hoc partem deberi. Advertendum autem hic est, non agi de perseverantia in una virtute, ex tribus illis Theologicis; sed in ea fide, quæ operatur per anorem, ac proinde reliquias complectitur. Sic, quando ait D. Paulus non justificari nos, nisi per fidem, perperam id Protestantes de solâ fide intelligent, hoc enim nomen religioni Christianæ ibidem tribuit. Nomen fidei quandoque comprehendit omnia. Dicit proinde, posse habere fidem, sicut posse habere Caritatem, naturæ esse hominum: habere autem fidem, quemadmodum habere Caritatem, gratiae esse fidelium. Diluto itaque per priorem librum primo errore; per alterum Author noster secundum impugnat. Initium dicit à declaratione, perseverantia nomine se non intelligere vitam probantem per continuatam, sed mortem in gratia obitam; imo & mortem in fide, & non postquam huic quis nuncium remisisset. Adversus fidem enim insidias struebant Semipelagiani. Dicebant ipsi accepta perseverantia maneri in fide.<sup>2</sup> Nolebant hominibus<sup>3</sup> prædicari, dona Dei esse, ut veniatur ad fidem, & permaneatur in fide. Contra hunc errorem ita Sanctus noster:<sup>4</sup> Afferimus ergo, donum Dei esse perseverantiam, quâ usque in finem perseveratur in Christo: finem autem dico, quo ista vita finitur. Quare si quis, ex quo fidelis factus est, vixit verbi gratia decem annos, & eorum medio tempore à fide lapsus est, hæc fuit perseverantia duntaxat ad certum tempus. At nunc agimus de perseverantia, quâ in Christo perseveratur usque in finem. In primum argumentum, quod ipsa donum Dei sit, adducit locum illum epistolæ ad Philippenses: *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut credatis in eum; sed etiam ut patiamini pro eo.* Quorum unum, ait Augustinus, pertainet ad initium; alterum ad finem. Interpretatur enim id morte pro Christo,<sup>5</sup> hoc est pro ejus fide. Hinc est, quod dicat postmodum: *multi eam possunt habere; nullus amittere, cùm enim mors nos opportuno tempore è vivis eripit, omni simul periculo eripimur.*

2. ALIA petit argumenta ex expositio-  
ne D. Cypriani in Orat. Dominicam. No-  
tandum tamen est, affinitate materiæ fieri  
quandoque, ut transeat ad continuatio-  
nem virtutis, bonorumque operum, quin  
eo necessariò comprehendat mortem ob-  
tingentem in gratiâ. In hunc sensum scrip-  
tit etiam libro de corr. perseveraturum  
hominem<sup>6</sup> si vellet; cùmque non perse-  
verat, id fieri, quia ex bona in malam vi-

(1) de præd. SS. n. 10. (2) n. 38. (3) n. 43. (4) n. 1. (5) Ut expressius eloquar, cui donatus  
mori pro Christo. (6) de corr. & 2. n. 11. (7) De Genes. ad lit. 1. 10. n. 28. (8) n. 10. (9) in  
Pf. CII, n. 7. (10) n. 12.

tam sua voluntate mutatus est. Scriptit quoque in Genesin:<sup>7</sup> Dei misericordiam, & veritatem primo ipsa p̄iante conversionis: deinde servandi præcepti perseverantia prome-  
rendam esse.

Observeretur, ubi docet, ad impetrandum ingens donum perseverantia finalis, etiam orationis ope nobis rem gerendam esse; hoc enim donum<sup>8</sup> suppliciter emere potest. Quare dixit alio in loco:<sup>9</sup> Retributio est, cùm tibi vives subministratæ sunt, ut usque in finem perseveres. Quid? quod observavit in Oratione quam edocti à Servatore fuimus, nihil pene aliud quām perseverantiam posci. Obmovebatur:<sup>10</sup> At enim voluntate sua quisque deserit Deum, ut meritò deseratur à Deo. Respondebat Augustinus: *Quis hoc negaverit?* Sed ideo petimus, ne inferemur in tentationem, ut hoc non fiat. Notat hic ἐν παραδόσει, in pluribus codicibus, etiam iis, quas retulit D. Cyprianus, non legi: *nè nos inferas in tentationem.* Sed: *nè patiaris nos induci in tentationem.* Id quod tamen nusquam reperiebatur in Graeco. Oratio itaque Dominica docet, *ut non discedamus à Deo non dandum esse nisi à Deo;* cùm id ipsum possendum ostendit à Deo. *Qui enim non inferatur in tentationem, non discedit à Deo.* Sed non est hoc omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt; fuerat in nomine antequam caderet. Id quod aliud non sonat, quām Adamum ante, quām peccaret obnoxium non fuisse concupiscentiæ, congenitamque ei fuisse poststarem volendi bonum per gratiam cum quā fuerat conditus. Atque hic finem faciemus nè coctam saepe cramben recoquamus. Quando adducit, præveniri etiam fidem à Divinâ gratiâ, repetit, quām sit à veritate alienum negare, donum Dei esse perseverantiam usque in finem hujus vitæ, cùm vita huic, quando voluerit, det finem. Advertat quisque ad Tractatum horum epilogum; debere nos nimis, cùm populum instituimus, loqui in hunc modum. *Vos itaque etiam ipsam obediendi perseverantiam à Patre lumen... sperare debetis, & quotidianis orationibus posse;* atque hoc faciendo confidere, non vos esse à prædestinatione populi ejus alienos, quia etiam hoc ut faciatis, ipse largitur. *Abstine autem à vobis ideo sperare de vobis, quoniam spem vestram in ipso habere jubemini; non in vobis.* Ex eo, quod Ecclesia semper oraverit Deum, sive ut crederent infideles, sive ut perseverarent fideles, quivis facile intelligit, semper ipsum ea Dei dona esse, credidisse, neque unquam ei negare fas fuisse, bæc à Deo esse præcognita.

*Ita prædestinatio prædicanda est. Præ cæteris autem respiciatque altè insculpi antimo deberet, documentum, quo D. Augustinus hic imponit coronidem: Non itaque sumus in disputationibus prompti, & in orationibus pigri. Non omittat hic quisvis ingenii perspicacis homo reputare secum, quam aptè loca Augustini difficiliora, eo*

*quem indicavimus modo, intellecta cum reliquâ omni ejus doctrinâ consentiant. Quo sit, ut ejus libri mutuam sibi opem præsent; totaque eorum series ritè inter se quadret, & cohæreat. Dum è contrario is, qui sensu ipsum non Catholico interpretatur, perperuæ ipsum antilogiaæ, dogmatis que secum ubique pugnantis reum agit.*

FINIS LIBRI DUODECIMI

HISTORIÆ THEOLOGICÆ

LIBER XIII.

*Animadversiones in peculiare Augustini idioma.*

**O**bortæ S. Patris nostri ætate novæ controversiæ novum quoque loquendi genus invexere, novâsque quibusdam vocabulis affixere notiones. Verborum vis ipso saepe temporum successu mutatur, pro diversâ facie, quam opiniones, ideæ, & mores sumunt. Hinc antiquos legenti scriptores, cùm ad sensum hodiernum, & communem advertit, phrases quasdam & voces alio ab ipsis significatu prolatas sinistrè intelligere pronissimum est. Adeo, cùm infinites major sit rerum, quam verborum numerus, oportere non raro eodem vocabulo denotari res vel naturâ, vel gradu diversas; variisque sensu verba, formas ac modos loquendi usurpari. Consistit saepe in eo vis tota ingenii, ut propriam quis vocabulorum notionem, penetret, ejusque variationem intelligat. Prægrandia conscriberet volumina, qui in animo haberet questiones, & disputationes illas congerere, quæ & natae sunt, & adhuc nascuntur ex eo, quod sese homines non intelligent, ob muratam vel quondam vel modo vocabulorum potestatem.

2. HABET tamen vel maximè locum hæc animadversio in rebus Ecclesiasticis. Religio Christiana ob alta sua mysteria, & tot nova dogmata cùm ad fidem rùm ad mores pertinentia non modò ingenitum novarum vocum induxit numerum; sed & antiqua multa vocabula, plurèisque phrases consuetas novo cœpit significatu adhibere. Qui Testamenti novi phrasin, cum antiquis scriptorum profanorum libris contulerit, reperiet novum quoddam linguæ genus; illudque è magis ambiguum, quò plenius est phrasibus metaphoricis, & tropicis, ut quandoque ænigmatis speciem præ se ferat. Crevit quandoque hæc locutionis insolentia, quod

nolent nostra Gentilibus propalare mysteria; crevitque difficultas, quantum attinet ad rem præsentem, ex formulis hebraicis ex Veteri Testamento derivatis. Ex idiomate Scripturæ manavit magnam partem idioma SS. Patrum, quorum quisque ferme singulare quid sibi præterea adoptravit, pro diversitate temporum, quibus floruit, & materiæ, quam tractavit. Atque hæc nostra magis ambiguitati, quâm omnes ceteræ, est obnoxia, quia quibusdam scatet formulæ, in quibus difficile foret significationem determinare, quæ alios sensus excludat. Vocabula hæc: *pecatum, libertas, necessitas, lex, voluntas, gratia, prædestinatio, & alia complura* hæc in re frequentissima ab uno ita, ab alio alter intelliguntur, ac saepe ab eodem Authore modò uno, modò alio sensu accipiuntur. Non est quasi possibile, ut is, qui scribit, aut loquitur, verborum suorum sensum semper, & scopum declareret; & tamen hinc & verum, & falsum pendet. Hinc est, quod res affines quidem, sed tamen differentes, saepe permisceantur, ac se ipsis propemodum penetrant; quo sit, ut genuina earum notio facile confundatur, & à versipellibus nullo negotio alteretur, ac commutetur.

3. S. AUGUSTINUS novas Pelagianorum expensiones elusurus, novum quasi linguae genus sibi procutit; quod ut intelligas, multa ejus scripta pervolvere, atque ex uno aliud interpretari tibi necessarium est. Verum est, hauisse ipsum magnam ejus partem *lex SS. literis*, ac præcipue D. Paulo. Utitur non raro hyperbolis, phrasèisque hyperbolicas adhibet. Adhibuit eas quoque S. Paulus; unde de iis mentionem fecit Chrysostomus cùm commentaretur primam ad Corinthios: <sup>1</sup> *semper ita facit, quando vult quandam adducere by-*

(1) Chrys. in 1. Cor. hom. 32. n. 5. ἡπειρ ἀττικὴ φίλατη πολιτεία, ἡταν ἡπειρολατεῖς παρασηταῖς βελτίστη.